Glaeser, Fridericus
De pseudo-Plutarchi libro
ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΩΝ ΑΓΩΓΗΣ

Dissertationes philologae Vindobonenses Vol. XII.

Mit ergebenster Empfehlung
der Verfasser.

De Pseudo-Plutarchi libro
ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΩΝ ΑΓΩΓΗΣ

scripsit

Fridericus Glaeser.

Plutarchi qui fertur librum *Περὶ παίδων ἀγωγῆς* a Plutarcho non esse conscriptum iam dudum inter viros doctos constare videtur[1]). Quam rem Wyttenbachius[2]) tam copiose tamque luculente comprobavit, ut iam non opus esse mihi quidem videatur argumenta eius repetere aut nova conquirere. Nihilominus hoc quoque opusculo et ex forma libelli et ex argumento probabitur Plutarchum scriptorem non esse. Ceterum de Wyttenbachii et Dyroffii[3]), quem hoc tempore plurimi viri docti sequuntur, sententiis in tertia et in quarta tractationis huius parte satis agetur, ubi *de fontibus Ps.-Plutarchi* et *de scriptore eiusque aetate* quaeretur; prima autem parte *compositio ac genus libelli*, altera *rerum comparatio* tractabitur.

---

1) Sed v. Christ-Schmid, Gesch. d. griech. Lit. II, 1 [5], p. 384; de dicendi genere in ea quaestione adhibendo cf. Weißenberger, Die Sprache Plutarchs und die pseudoplutarch. Schriften (Progr. Straubing, 1895) p. 41 sq.

2) Wyttenbach, Animadversiones in Plutarchi Moralia (1820).

3) Dyroff, Die Ethik der alten Stoa (Berliner Studien f. klass. Philol. u. Archäol. 1897, N. F. 2); p. 239, Eine Schrift des Chrysipp als Vorlage der pseudoplutarchischen Schrift über Kindererziehung. Cetera, quibus saepius utor, haec fere sunt:

Schick, Favorin *περὶ παίδων τροφῆς* und die antike Erziehungslehre (Diss. Lips. 1912),

Graßberger, Erziehung und Unterricht im klassischen Altertum (1875), Band II: Der musische Unterricht,

Wendland, *Quaestiones Musonianae* (1886),

Wendland, Philo und die kynisch-stoische Diatribe (W.-Kern, Beitr. z. Gesch. d. griech. Philos. u. Relig., 1895),

Prächter, Hierokles der Stoiker (1901),

Schütze, *Iuvenalis ethicus* (*Diss. Gryph.* 1905),

J. J. Hartmann, *Ad. Plut. Mor. annot. criticae* (Mnemosyne N. s. XL, 1912), p. 237,

Cobet, *Miscell. philol. et crit.* (Mnemosyne N. s. I 1873. p. 354),

Editiones Plutarchi: Hercher (1872), Bernardakis (1892).

Pars I.

De compositione ac genere libelli.

Priusquam de rebus, quae hoc libello tractantur, iudicamus, de natura ac genere eius inquirendum videtur, quoniam in scriptorum cogitationibus examinandis haud parvi est momenti investigare, unde ortae sint. Quod nonnumquam ex tractandi exponendique ratione evidenter apparere nemo est quin sciat: fieri enim potest, ut normae quaedam reperiantur, secundum quas cetera quaerenda sint. Quare e forma libelli, quam dico rerum dispositionem atque conexum, proficiscendum esse censeo.

Scriptor, ut *περὶ παίδων ἀγωγῆς* agat, sibi proponit. Dispositio plane dilucida esse videtur; iterum atque saepius diligenter verbis premitur (cf. 1 A *ἀπὸ τῆς γενέσεως ἄρξασθαι*, 2 A *περὶ μὲν τῆς γενέσεως τοσαῦτα εἰρήσθω μοι, περὶ δὲ τῆς ἀγωγῆς καὶ δὴ λεκτέον*, 3 B *περὶ δὲ τροφῆς ἐχόμενον ἂν εἴη λέγειν*, 7 A *ἐπανάγω γὰρ πρὸς τὴν ἐξ ἀρχῆς τοῦ λόγου ὑπόθεσιν*, 7 B *ἕως ἔτι μέμνημαι τῆς παιδείας*, 8 B *καὶ περὶ μὲν παιδείας οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ πλείονα λέγοντα διατρίβειν*, 8 F *καὶ ταῦτα μὲν δὴ τῷ λόγῳ παρεφορτισάμην, ἵν' ἐφεξῆς καὶ τἄλλα τὰ φέροντα πρὸς τὴν ὀρθὴν τῶν νέων ἀγωγὴν συνάψω*, 10 E *περὶ τούτων γάρ, ὥσπερ ὑπεθέμην, εἰπεῖν λοιπόν*, 11 D in. *ταῦτα μὲν οὖν . . . περὶ τῆς τῶν παίδων εὐκοσμίας . . . διείλεγμαι. περὶ δὲ τοῦ ῥηθήσεσθαι μέλλοντος κ. τ. λ.*, 12 A *ἐγὼ δ' ἐπειδὴ περὶ τῆς τῶν παίδων εὐταξίας εἴρηκα καὶ κοσμιότητος, καὶ ἐπὶ τὴν τῶν μειρακίων ἡλικίαν ἤδη μεταβήσομαι*, 12 F *ἀνακάμψω δὲ ἐπὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς τοῦ λόγου ὑπόθεσιν*, 14 A *βραχέα δὲ προσθεὶς ἔτι περιγράψω τὰς ὑποθήκας*). Animadvertamus scriptorem enixe operam dare, ut ei qui legit, se rectum ordinem rebusque aptum servare persuadeat: minus, ut videtur, ideo, quod ne ille ordinis notione amissa rem non satis intellegat anxius est, quam ut sibi ipsi viam quasi praemuniat. Ex eisdem locis quam incompositus ac perturbatus ordo sit, apparet, quem ipse tam saepe digito ut ita dicam ostendens indicat. Neque vero difficile est dispositionis vitia cognoscere. Ad quam ipsam delineandam iam aggrediamur.

Quaestione proposita *(Τί τις ἂν ἔχοι εἰπεῖν κ. τ. λ.)* scriptor orditur a generatione liberorum (1 A *ἀπὸ τῆς γενέσεως* — 2 A); de parentum, praecipue matris condicionibus, deinde de concubitu agit. Sequuntur capita 2 A—3 B de condicionibus virtutis perfectae et de educandi vi vel de consuetudinis curaeque momento et 3 C de nutritione *(τροφή)*. Quae deinde exponuntur de nutricis, servulorum, paedagogi moribus, ad unum spectant (3 D—4C): de moribus eorum agitur, quibuscum infantes versantur. Quam rem permagni momenti esse, quoniam infantium natura prima facillime formetur aetate (3 E). Deinde scriptor in patres invehitur, qui aut pueros educandos non curant aut pessimum quemque paedagogum instituunt, per quem mores funditus depraventur (4 C—5 C). Cuius neglegentiae effectu depingendo id agit, ut veros paedagogos philosophos esse comprobet; nam contra adulescentiae vitia remedium non esse nisi *φιλοσοφίᾳ ὁμιλεῖν* (5 C in.). Sequitur (5 C—6 A) educationis et eruditionis *(ἀγωγὴ σπουδαία καὶ παιδεία νόμιμος)* iterata collaudatio ceteris „bonis“ comparatis; illa sola bona certa ac sempiterna esse felicitatemque parare. Proximo capite (6 B—7 C) varia praecepta, quae ad dicendi institutionem usumque pertinent, effunduntur. Tum de studiis liberalibus scriptor ita agit (7 C—D), ut ea fere praetereat, at philosophiam, i. e. virtutis studium praedicet (7 E—F). Vitarum comparatio atque aestimatio sequitur (8 A—B), ubi de librorum usu praeceptum additur (8 B). 8 C—D de corporibus exercendis agitur; quo loco scriptor aliquem sibi obicientem facit, quod pauperum liberorum educationem neglegat (8 E—F). Praecepto sequenti (9 A) castigationem et contumeliosam obiurgationem repudiat. Porro laborum remissionem necessariam esse comprobat (9 B—C). Pater institutionem interdum inspiciat et paedagogum diligenter custodiat (9 D); *ante omnia*[1]) autem memoria excolenda est (9 E). Sequuntur varia praecepta amplis exemplis illustrata (10 A—11 C): de *αἰσχρολογίᾳ*, de comitate puerorum, *βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν, τὴν γλῶτταν κατέχειν, τῆς ὀργῆς ὑπεράνω γίγνεσθαι, τῶν χειρῶν κρατεῖν*. Quarum virtutum id commune esse videtur, ut nos ipsos cognoscamus et coerceamus. *Praeter quae omnia* (*παρὰ πάντα δὲ ταῦτα* 11 C) veritatis studium excolendum est. 11 D – 12 A de puerorum amore agitur. Transit scriptor ad adulescentium aetatem (12 A—D); ubi quibus rebus imprimis mores formentur discimus (12 C *διδάσκοντας, ἀπειλοῦντας, δεομένους, παραδείγματα δεικνύντας κ. τ. λ.*). 12 D—13 C usum hominum perditorum et praecipue adulatorum reprehendit; adseruntur Pythagorae aenigmata (12 D—F). Expositis praeceptis, quibus

---

[1]) Qui rerum conexus *(πάντων δὲ μάλιστα)* tam durus est, ut facile intercidisse aliquid existimari possit. Sed fortasse in reliquarum ineptiarum copia haec quoque toleranda est.

patribus clementiam commendat (13 D—F), de adulescentibus matrimonio coercendis breviter cohortatus (13 F) scriptor ad finem properat: maximum est, ut patres filiis virtutum exempla sint (14 A—B). Cohortatione, ut educationi summa diligentia adhibeatur, libellus concluditur.

Si omnia ordinis menda praetermittimus, quae forma sit tractationis et rerum dispositio, facile intellegitur. Atque hic aliorum, qui de educando sunt, librorum — qui quidem nobis servati sunt — lineamenta adumbrare ex re esse videtur, quia illis comparatis iudicari potest, quatenus hic libellus cum illis congruat, i. e. quatenus ad certam quandam rerum disponendarum normam compositus sit. Iam satis erit inquirere, num ab artis educandi principibus — Platonem et Aristotelem dico — certa quaedam eius rei tractandae norma instituta sit; neque enim alios, qui solam educationem tractent, libros habemus atque posteros auctores illorum exemplum secutos esse verisimile est.

Plato in Civitatis (*Πολιτείας*) libris II. V. VI. VII. passim de educatione agit. Qui quoniam in optima re publica describenda sua via progreditur rerumque ordo alius sit necesse est, dispositio rei ipsi apta deesse videtur: tamen lineamenta primaria discernuntur. In l. II. 376 E, ubi de eruditione (*παιδείᾳ*) militum agere incipit, dividit *γυμναστικήν* et *μουσικήν* „formationem corporis et animi eruditionem". De hac prius disserit (377 sq.): de fabulis (*μῦθοι*) et matrum nutricumque officiis. Omnia ex eo pendent, quod mores infantium prima aetate formantur. Deinde (403 sq.) de corporum exercitatione exponit, quae eadem tenera aetate abhibenda est. In l. V., ubi de mulieribus quaestio est, de matrimonio et liberorum procreatione agitur. Quae in l. VI. de animis philosophiae aptis eorumque institutione proferuntur, ad hanc rem minus pertinent. Septimo denique libro litterarum ac scientiarum institutio tractatur. Inde rerum ordo, si recte ponimus, efficitur hic: matrimonium, generatio, corporis formatio atque exercitatio, animi morumque praeparatio, litterarum institutio. Quam distributionem in Legibus servari apparet. Ut quae in libris I. et II. (I 643 B—645, II 653—654 A) perstringuntur, praetermittam, in libro IV. 773—776 de matrimonio, 784 sq. de liberorum procreatione, in libro VII. de educatione et eruditione agitur ita, ut prima nutritio (*τροφή*) et corporis formatio, quae et in matris utero et prima post partum aetate maxime curanda est, cum est corpus cerae instar molle (788—789), deinde educatio ipsa tractetur (cf. 788 A *Γενομένων δὲ παίδων . . . τροφὴν μέν που καὶ παιδείαν τὸ μετὰ ταῦτα λέγειν ὀρθότατ' ἂν γίγνοιθ' ἡμῖν*). Cuius pars prima in animi irrationalibus ut ita dicam, facultatibus est — *πάθη* recte formantur et *εὐθυμία* appetitur, consuetudinis vis demonstratur (790—792); eodem fere pertinent 793—794 B (ludi, castigationes, nutrices) — altera tertiaque

eius aetatis sunt, qua ratio pueris iam accessit; atque iterum pari modo distribuuntur: corporum exercitatio (795 D—796 D, *ὄρχησις* et *πάλη*) et animi mentisque eruditio, *μουσική* (796 E sq.). Sequuntur praecepta varia, praecipue de genere vivendi (*τρόπος βίου* 806 B), paedagogorum institutione (808 C), litteris docendis, musica, scientiis mathematicis (809 E—822 C).

Quae rerum dispositio in Aristotelis opere (Pol. VII et VIII) dilucidior fit. Aristoteles VII 13 tres condiciones virtutis perficiendae esse exponit — de optimo enim rei publicae statu civiumque moribus orditur — naturam, usum, institutionem (*φύσιν*, *ἔθος*, *λόγον*): educatio in altera tertiaque sita est. Quare iis rebus, quae natura praesto esse debent, explanatis educationem ita dividit: p. 1334 b 25 *διὸ πρῶτον μὲν τοῦ σώματος τὴν ἐπιμέλειαν ἀναγκαῖον εἶναι προτέραν ἢ τὴν τῆς ψυχῆς, ἔπειτα τὴν τῆς ὀρέξως, ἕνεκα μέντοι τοῦ νοῦ τὴν τῆς ὀρέξεως, τὴν δὲ τοῦ σώματος τῆς ψυχῆς.*[1]) Itaque primo de corpore videndum est: generatio et concubitus, parentum condiciones, matrum praegnantium cura huc pertinent, deinde *τροφή* et corporis formatio (VII 16 et 17 in.). Sequitur animi conformatio ante rationis usum, annum vitae quintum, adhibenda: ludi (*παιδιαί*), fabulae (*μῦθοι*), quaecumque liberi audiunt (*λόγοι*) vel vident, hominum, quibuscum sunt, mores hic tractantur. Octavo denique libro de discendo praecipit et *μαθήματα* exponit: *γράμματα, γυμναστικήν, μουσικήν, γραφικήν*. Quarum artium altera, quae in corpore exercitando sita est, prima tractatur (VIII 8 *γυμναστικὴ καὶ παιδοτριβική*). Sequitur musica; ceteras accuratius non exponi, quod Politicorum libri non absoluti sunt, constat. Si igitur ita Platonis Aristotelisque libros comparamus, certam quandam tractandi viam effici apparet, quam sequentium temporum scriptores, qui de educatione egerunt, fere secutos esse nempe consentaneum est.

Non alienum esse videtur hoc loco animadvertere eos, qui vitam alicuius describunt[2]), ex parte simili ratione uti. Rem vulgarem tractare nolo (cf. F. Leo, Die griech.-röm. Biogr., 1901, passim, praec. 8, 27, 83, 180 al.): de genere, familia, parentibus ante hominem natum ample agitur, ut *vita* sit *γένος καὶ βίος* vel etiam *γένος* (Leo l. l. p. 20). Cuius rei causam in omnium hominum notionibus quaerimus, quibus, qualibus quis parentibus natus est, talis ipse habetur. In vitis describendis post

---

[1]) *ὄρεξις* irrationalem animi partem significat (cf. ibid. 20 *ὥσπερ δὲ τὸ σῶμα πρότερον τῇ γενέσει τῆς ψυχῆς, οὕτω καὶ τὸ ἄλογον τοῦ λόγον ἔχοντος*).

[2]) Idem rerum ordo in panegyricis est cf. Platon. Menex. 237 B *τὴν εὐγένειαν . . πρῶτον αὐτῶν ἐγκωμιάζωμεν, δεύτερον δὲ τροφήν τε καὶ παιδείαν*, Ps.—Dionys. *Τέχνη ῥητ.* V 3: *χρηστέον . . τοῖς ἐγκωμιαστικοῖς τόποις, ἀπὸ γένους, ἀπὸ φύσεως, ἀπὸ ἀνατροφῆς κ. τ. λ.*

educationem vivendi genus, virtutes, res gestas tractatas esse non minus constat.

Quae de virtutibus pars recte cum librorum de educatione scriptorum ea parte comparari potest, qua, quoniam animus excolendus et mores formandi sunt, virtutes enumerantur et explicantur. Eandem partem, quod habet momentum non solum in puerorum, sed omnium moribus, facile plus aequo amplificari atque opus solutum ipsum fieri posse intellegimus: consimilis fit cuivis tractationi, quae est de moribus. Huius librorum generis, quibus de puerorum educatione vel potius moribus agitur, exemplum habemus Ps.—Isocratis Protrepticon *Πρὸς Δημόνικον*[1]): scriptor enim id agit, ut amici filium ad studium virtutis impellat, variasque virtutes sine ullo ordine profert. Varia praecepta, quae ad vivendi condiciones et ad singulas virtutes attinent, enarrantur, omnibus idem appetitur, ut animus ad optimum vivendi genus impellatur.

Quibus rebus expositis ad Ps.-Plutarchi libellum redeamus. Nunc quatenus scriptor certam illam rerum dispositionem[1]) observet quaerendum est, quam iterum complecti liceat: 1. *γένεσις*, i. e. parentes, concubitus, cura ante partum adhibenda, 2. *τροφή* a. corporis formatio, nutritio, b. animi cultus i. e. facultatum irrationalium recta consuetudo, 3. institutio vel educatio, a. corporis exercitatio, b. rationis eruditio, litterae, scientiae, 4. virtutes variae et morum perfectio. Quam ultimam partem non tam loci ordine quartam, quam cogitatione distinctam esse consentaneum est: nam ceteris etiam immisceri potest. Scriptor exordium capit de generatione: parentum condiciones continentur praecepto de uxore in matrimonium ducenda dato (1 A—D), concubitus qualis esse debeat, praecipitur 1 D—2 A. Deinde ut *περὶ ἀγωγῆς* disserat, sibi proponit (2 A): sequitur caput, quo vis educationis, consuetudinis, laboris, curae (2 D in. *πόνου καὶ ἐπιμελείας*) exponitur. Quod argumentum ei parti, quae primam animi ac morum formationem continet, praemittendum esse liquet, quia idem fere hic comprobatur quod 3 E *εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης . . . πᾶν δὲ τὸ σκληρὸν χαλεπῶς μαλάττεται κ. τ. λ.*: utrimque, quantopere animos inde a prima aetate formari necesse sit, demonstratur. Pars igitur, quae nutritionem continet (3 C—D), non suo loco posita esse videtur, quod post ipsam generationem inserenda erat.

---

[1]) de scriptore v. Christ-Schmid, Gesch. d. griech. Lit. 1908[5], I p. 538.

[1]) Operae pretium est animadvertere armentorum curam Vergilium in III. libro Georgicorum eodem ordine — prioris scilicet partis — exponere, cf. v. 51 *corpora praecipue matrum legat*, deinde 73 sq. de masculis, post coitum 138 *rursus cura patrum cadere et succedere matrum incipit*, deinde 157 *post partum cura in vitulos traducitur omnis*; hac aetate id, ad quod destinantur bestiae, exercitatione efficiendum est *dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas* (v. 165).

De corpore formando, quae res hic quoque cum nutritione coniungitur, perpauca legimus: *ὥσπερ γὰρ τὰ μέλη τοῦ σώματος εὐθὺς ἀπὸ γενέσεως πλάττειν . . . ἀναγκαῖόν ἐστιν κ. τ. λ.*, sed legimus. Si capitis 3 C—F continuationem examinamus, res alteram ex altera recte pendere apparet: matres liberos nutriant ipsae, si vero nutrices, quam optimae, quod prima aetas maxime curanda est, ubi consuetudo plurimum valeat. Quare quod supra apparuit, corrigendum est: caput 2 A—3 B alio loco ponendum fuisse videtur, quoniam consuetudinis vim explanat. Sed quicumque est ordo rationi aptus: si quis de suo tractat, argumenta, quae ad rem aliquam demonstrandam destinata sunt, ibi ponit, ubi id, quod demonstrandum est, explicatur; itaque de virtutis condicionibus (*φύσις, λόγος, ἔθος*) et consuetudinis vi non ante nutritionem disseret. Quae sequuntur (3 E—5 C), sine offensione continuantur, omnia fere ad mores consuetudine rectos efficiendos spectant. Nam de omnium, quibuscum pueri sunt, moribus eodem modo agitur, de paedagogo paulo fusius, quoniam, ut iterum comprobatur (5 A—B), vita virtuti dedita nisi recta educatione effici non potest. Eruditionis laude (5 C—6 A) tertiam illam quam discripsimus partem iniri elucet. Atque hic corporum exercitationem, quam Aristotelis exemplo adducti priorem posuimus, multo post (8 C—D) sequi facile ferri potest. At in discendi institutione explicanda primam scientiarum artiumque dispositionem exspectaveris: sequuntur de dicendi usu praecepta (6 A—7 C). Id scilicet *τῆς ἀδιαφθόρου καὶ ὑγιαινούσης παιδείας* caput princeps est, quod, si ordo rationalis esset, ultimum exponeretur. Praeterea ea dicendi praecepta ne ipsa quidem qua ratione digesta proferantur, intellegi potest; repudiantur *πανηγυρικοὶ λόγοι*, removetur a pueritia genus dicendi quod dicitur extemporale, praecipitur medium dicendi genus inepta coniunctione agglutinatum — nam verba 7 A *ὥσπερ τοίνυν (ἐπανάγω γὰρ πρὸς τὴν ἐξ ἀρχῆς τοῦ λόγου ὑπόθεσιν) κ. τ. λ.* ad initium huius capitis referri vix possunt. Quae deinde depingitur recta *διάθεσις τῆς ψυχῆς*, in praeceptis rhetoricis non satis apte posita esse videtur; cui *μονῳδίας* improbatio non magis apte adseritur — sed excusemus scriptorem, cum ipse se hoc praeceptum extra ordinem addere concedat (*βούλομαι δ' ἕως ἔτι μέμνημαι τῆς παιδείας κ. τ. λ.* 7 B). Sequenti demum capite (7 C—D) ad *ἐγκύκλια παιδεύματα* transit vel potius praetermittit et ad philosophiae institutionem pergit. In vitarum aestimatione (8 A—B) ne offendamus, quamquam, si cum tota ad philosophiam cohortatione post educationem ipsam finitam sequeretur, nemo aegre ferret. Non enim satis concinnum est eos, qui iam ad vivendi genus eligendum progressi sunt, ad corporum exercitationem (8 C—D) et rectam castigandi rationem (9 A) retrahi. Quid vero iudicandum est, si scriptor 8 B se nihil iam quod proferat habere confirmat et verbis

πρὸς δὲ τοῖς εἰρημένοις χρήσιμον κ. τ. λ. pergens de librorum usu agit idque post vivendi genera descripta? Castigandi porro rationem antea tractandam fuisse nemo negabit, quia talia educandi subsidia nempe prima aetate plurimum adhiberi solent. Praeceptum (9 B—C), quo remissio laborum ac studiorum otiique vices postulantur, habeat suum locum; contra paedagogos a patribus diligenter examinandos esse eo loco moneri voluerimus, quo de illorum institutione dictum est. Memoriam vero excolendam esse cur scriptor hoc loco (9 E—F) praecipiat, causam reperire desperavi. 9 F legimus: *Καὶ μέντοι καὶ τῆς αἰσχρολογίας ἀπακτέον τοὺς υἱεῖς*: qua alia re prohibendi erant? Quamquam in sequenti capite varia coacervantur (10 A—11 C), tamen praecepto veritatis agglutinato nimis ordo turbatur. Quod caput, quo virtutes variae enumerantur, quartae rerum parti, quae supra nobis evenit, attribuerim. Quaestio amatoria (11 D—F) nusquam satis apte poneretur, quia cum ceteris rebus non cohaeret, tamen eam una cum puerorum usu atque consuetudine cotidiana accuratius et aptiore loco explicandam fuisse intellegimus. Deinde scriptor (12 A) adulescentium curae se dat; omnia recte sequuntur, quamquam docendi virtutisque efficiendae instrumenta (12 C) ad puerorum quoque aetatem pertinent. At 12 D iterum ad *παῖδας* relabitur, oblitus, ut videtur, se iam *μειράκια* tractare; quamquam concedere oportet eum praeceptum quod sequitur — homines mali atque imprimis adsentatores a liberis removeantur — hoc loco magis de adulescentibus proferre velle, sicut postea explicatur (13 A—C). Praecepta Pythagorica alibi magis quadrent atque aliis nempe verbis inducenda erant — ita fere: „Neque virorum sapientium aut poetarum dicta ac praecepta ad virtutis studium inutilia sunt, sicut Pythagorae illa aenigmata, quibus . . . edocuit etc.“ —, certe intellegi non potest, quomodo *τοῦτο . . . καὶ Πυθαγόρας αἰνίγμασιν* (12 D) praeceperit, cum id, de quo hoc loco quaestio est, solo primo aenigmate illustretur. Capita sequentia (13 A—F) revera ad adulescentiam spectant. Contra quod patris virtutem liberis exemplum esse debere in fine libri profertur, aegre ferimus utpote in re, quae apud pueros non minus valeat: certe postquam filii matrimonii vinculis constricti sunt (13 F), illud praeceptum subridiculum est. Educationis denique laudem et parentum cohortationem iterari (14 B) sane conclusionis rationi respondet. Priusquam autem, quae evenerunt, explicamus, adiciantur nonnulla vitia minora, quae sunt in rebus non satis vel omnino non expositis: 2 F dictum Thessali hominis, Diogenis 5 C, comparatio 4 B *οἷόσπερ ἦν ὁ Φοῖνιξ*, verba 8 B *κατὰ τὸ γεωργῶδες*, alia.

Quae si omnia complectimur et rerum dispositionem supra adumbratam adhibemus, negari non potest scriptorem secundum illam normam,

quae communis visa est, res disponere conari; idem quin nonnulla sine ulla ratione perturbata exhibeat ac singula ordine neglecto proferat, dubium non est. Ex qua re mihi quidem sequi videtur Ps.-Plutarchi libellum non philosophi cuiusdam scriptoris scriptum unum atque continuum esse; nam nemo philosophus, quamvis rudis et scribendi imperitus sit, adeo rationali cogitandi conexu omisso praecepta coacervare potest. Relinquitur, ut aut alterius scriptoris opus abbreviatum mutatumque sit aut variis partibus e compluribus scriptis vel aliunde collatis compilatum. Atque illud quidem refutari videtur, quia si quis alterius opus amplius excerpit inque brevius compendium contrahit, in minore opusculo rerum dispositionem etiam distinctius clariusque elucere necesse est. Nam quis excerptor, etiamsi nonnulla praetermittit aut addit suoque consilio adaptat, rectum fontis ordinem perturbet ineptumque reddat? Si quaecumque in hoc libello non quadrant, omittimus, tam multa ac magna sunt, ut quae restant, opusculum sint egenum atque imperfectum, sin mutamus, novus quidam liber fit isque fortasse satis concinnus: sed quaerere licet, unde venerit talis libelli huius status, praesertim cum plerumque codicum mendis explicari non possit. Quarum difficultatum unum restat remedium hoc: Ps.-Plutarchi libellum e variis fontibus compilatum et ab homine scribendi plane imperito, certe rerum recte digerendarum rudi, conscriptum esse. Quae sententia fortasse probabilior fit comparatis iis, quae sequuntur: 1 D *εἰπεῖν, ὅπερ οὐδὲ τοῖς πρὸ ἡμῶν παρεωρᾶτο,* 2 A *ὃ . . λέγειν εἰώθαμεν,* 3 A . . *ἄν τις λέγῃ, οὐκ ἄν τι πλημμελεῖν δόξειεν,* 3 F *οὐδὲ τοῦτο παραλιπεῖν ἄξιόν ἐστι,* 11 A *ὧν τοὺς ἄλλους παραλιπὼν ἑνὸς ἢ δυοῖν . . ἐπιμνησθήσομαι.* Huiusmodi verbis, quamquam dicendi formulas usitatas esse posse nemo negabit, scriptor in eos, qui de eadem re scripserunt, respicere videtur aut ea, quae invenit, locis idoneis inserere conatur. Accedunt loci, quibus quod aliorum dicta proferre potest, gaudet fere ut 8 D *κἀνταῦθα δὴ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ ἱπποκόμου χάριεν κ. τ. λ.*, aut se excusat, quod subaliena sunt quae exponit ut 12 D de Pythagorae dictis: *ἅπερ ἐγὼ παραθεὶς ἐξηγήσομαι· καὶ γὰρ ταῦτα πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν συμβάλλεται ῥοπὴν οὐκ ἐλαχίστην.*

At enim si ex compluribus fontibus hausit, eum auctores rerum indicare exspectandum erat! Quod minime necessarium esse scit, si quis veterum scriptorum excerpendi aliorumque scriptis utendi rationem novit. Quos scriptor laudat auctores aut poetas aut philosophos, eos de hac quaestione nihil indicare consentaneum est, qui erat veterum usus tractationum dictis nobilibus exornandarum; quae in hoc libello tam multa atque interdum cogitationum ordini tam non apta sunt, ut magis ornandi gestandique causa inserta, quam ad res probandas adhibita esse vide-

antur. Si igitur conceditur libellum e variis fontibus conglomeratum esse, qua deinde via progrediendum sit, apparet: singulae res secernendae, cum aliorum cogitationibus similibus conferendae, in auctores, sicubi aliqua probabilitate fieri potest, revocandae sunt. Sed ubi fontes illos quaeramus? Magna profecto difficultas hic nobis oritur, qua adductus Wyttenbachius non satis recte de libello iudicasse mihi videtur. Audias enim quaeso, quos ille vir doctus fontes nobis praebeat: (Animadv. p. 13) *praecepta huius libelli continentur locis communibus, sententiis tralaticiis, sive levi ac mediocri paucorum et frequentissimorum auctorum lectione, sive ex quotidianae vitae sermone susceptis.* Neque gravissimum in ea re argumentum situm esse negari potest: sed ad scriptorem magis pertinet, quam ad res. At si Wyttenbachius omnibus modis recte censuit, quaestio, quam proposuimus, fontium indagationem dico, supervacuanea atque irrita est. Quis enim fontes philosophiae quaeret in eo, qui sententias vulgares et flosculos rhetoricos decantat? Sine dubio illud iudicium ante omnia aut probandum aut refellendum est: si verum est, de libello iam nihil amplius inquiri potest, sin falsum, in philosophia rerum origo quaeri potest. Wyttenbachius de scriptore ita coniecit: (An. p. 29) . . . *discipulus plenus prioris magistri (i. e. rhetoris) praeceptis, novus in schola Plutarchi . . . problema hoc tractavit suo more, id est mere rhetorice, ut de argumento minime cognito sibi perspectoque quasi chreiam componeret.* Deinde: . . . *tractatio locis communibus, sententiolis, flosculis oratoriis aliunde decerptis* continetur et . . . *Isocratei exempli ex genere ὑποθετικῷ et παραινετικῷ imitatio* apparet. Primum igitur quaerendum est, num hic libellus opusculum rhetoricum esse possit. Sed antequam quaestionem absolvimus, nonne luce clarius est scriptorem ab omni rhetorum elegantia et rerum tractandanum peritia quam longissime abesse? Licet puerilis aetatis fuerit discipulus, nonne eum tractationum conficiendarum normas rhetoricas eo magis servaturum fuisse consentaneum est? Itaque ex forma illud iudicium plane non probatur. Nam facile praeterire licet aliquas formulas dicendi, quas Wyttenbachius mori rhetorico vindicavit ut 1 A *τί . . . φέρε σκεψώμεθα*, 2 D *καὶ μόνα κ. τ. λ.*, 8 B *καὶ . . . διατρίβειν*, alias, quibus nihil efficitur, quod tales flosculos ubique invenias neque in hoc libello non aliae occurrunt, quae philosophorum potius dicendi genus redolent ut 1 A *βέλτιον δ' ἴσως ἀπὸ . . . ἄρξασθαι*, 2 A . . . *εἰρήσθω μοι*, alia. Praeterea cui rhetoricarum tractationum generi libellus attribui possit, non intellegitur. Quaestio ipsa non rhetorum more concipitur. Theonis progymnasma *Περὶ τῆς τῶν νέων ἀγωγῆς* (Rhet. Graec. ed. Speng. v. II 56) multum differt, cum sola praecepta contineat, quae ad usum dicendi, scriptores legendos imitandosque, stilum perpoliendum spectant. Atque

dubium non est, quin hic capite 6 B—7 C similes res exhibeantur, de quibus postea quaerendum erit. Eodem capite praecepta dicendi non tam rhetoris, quam philosophi colore tincta praeberi neminem qui legit fugere potest: ubinam, ut id unum adferam, in hoc libello lectio et imitatio scriptorum reperitur, quae apud Theonem res maxima vel unica est? Nisi forte illud praeceptulum (8 B) adfers, ubi veterum lectio non dictionis, sed *ἐπιστήμης* causa commendatur, id quod rhetoris rationi quam minime respondet. Totius igitur libelli ratio a rhetorum de institutione notionibus aliena esse videtur: relinquitur mos tractandi rhetoricus. Duorum generum, quae praecipue huc pertinere puto, chriam et thesin dico, exempla si comparamus — ut in Aphthonii progymnasmatibus chriam de Isocratis dicto compositam, quo *τῆς παιδείας τὴν ῥίζαν πικρὰν ἔφη, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς* (Rhet. Gr.Speng. v. II 23); de thesi cf. Quintil. Inst. or. II 4, 24, Cicer. De or. III 106 — singula in rebus singulis explicandis plane similia esse negari non potest; sed nihil prorsus aliud sequitur, quam scriptorem, qua erat scribendi inscitia, eo facilius in dicendi genus quodam modo rhetoricum incidisse, quippe quod apud plurimos antiquitatis scriptores plus minusve valuerit. Eum autem a rhetorico ritu, qui rebus scite disponendis, inter se effectus causa coniungendis, facete concinneque exornandis continetur, maxime abhorrere iisdem argumentis comprobatur, quibus supra libellum compilatum esse demonstratum est. In rebus denique ipsis num opus est demonstrare et permulta, quae libello insunt, a rhetorum locis communibus aliena esse et plura etiam, quae desunt, a rhetoricae artis discipulo ante omnia proferenda fuisse? Ut, quod maximum est, exponam: nonne artis dicendi sectatori suae artis laudatio exornanda fuit? Eruditione absoluta omnis institutionis perfectionem summamque dicendi artem esse confirmasset omnique locorum communium apparatu adhibito eam vitae magistram, imperatricem hominum, summum animi bonum esse comprobasset. Contra Ps.-Plutarchus, orator ne plebi indulgeat, monet, quia *τὸ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν τοῖς σοφοῖς ἐστιν ἀπαρέσκειν* (6 B). Videamus tandem, quid sibi velit scriptor, quae sit libelli summa. Saepius philosophiam laudat atque vitae necessariam esse contendit: id ergo agit, ut qui legunt, eos ad philosophiam impellat. Ubi de paedagogis disserit (4 B—5 C), patres increpat, qui servum nequam pueris educandis praeponunt: philosophis tradendi sunt. Quorum institutione sola a vitiis pueri iuvenesque cohibentur (5 C *φιλοσοφίᾳ δὲ ὁμιλήσαντες οὗτοι οὐ τοιούτοις ἴσως πράγμασιν ἑαυτοὺς ἂν καταπειθεῖς παρέσχοντο*). Eos qui in dicendo plebis favorem appetunt, vituperat, quod mores depravant (6 A—B): contraria sine dubio ratio dicendi philosophi propria est. Artibus liberalibus pueri breviter instruendi sunt (7 C—D): philosophia praevaleat, finis educa-

tionis sit. Haec est animi cultura, malorum remedium, fons virtutis, magistra vitae (7 D—E). Libellus igitur recte προτρεπτικὸς λόγος, qui ad philosophiam ducat, dici possit[1]). Omnia deinde illa praecepta, quae magna ex parte ad unum tendunt, quae philosophiam interdum valde sapiunt, quae diligentem curam et experientiam educandi optimam nonnumquam ostendunt, unde habet scriptor? Quas res plerumque in ipsam philosophiam revocandas esse infra apparebit. Nam licet nonnullae res, de quibus quaestio est, apud scriptores artis rhetoricae vel in disputationibus ac declamationibus consimili modo tractatae sint: nemo est, quin oratores in thesibus, quae vocabantur, omnia fere ea tractavisse sciat, quae philosophiae moralis sunt (cf. praec. Quintil. Inst. or. I prooem., 9 sq). Atque dubium sane non est, quin e. g. Ps.-Isocratis cohortatio ad Demonicum missa, quod opus similis generis adhibere exemplum nobis liceat, et Ps.-Plutarchi libellus multis locis consentiant. Ex qua re nihil sequitur nisi hunc scriptorem non reconditam ac subtilem philosophorum doctrinam exhibere — id quod nemo umquam contendet — sed saepius in vulgaribus cogitationibus et sententiis omnium communibus versari: sed quis tales res, quae ubique obvias se praebent omniumque notionibus ac sermonibus insunt, omnino ad fontem ullum revocare voluerit pro certo? Quare id agendum esse videtur, ut quae nimis vulgaria ac trita sint, cum ad fontes indagandos plane inutilia sint, praetermittantur.

Ut tandem huic quaestioni finem faciam: Ps.-Plutarchi libellus e variis fontibus congestus est, quorum indolem ut cognoscamus, philosophorum scripta excutienda sunt. Itaque alteram huius opusculi partem sic institui, ut, quaecumque alibi reperiuntur huius libelli rebus similia, proferantur. Quod autem omnia, quae ad educationem moralem vel omnino ad mores attinent, comparanda sunt, eae quoque res, quas scriptor aut non aut aliter tractat, animadvertendae sunt. Quare id mihi proposui, ut ad singula rerum capita ea adferrem, quae non tam verbis vel sententiis scriptoris respondeant, sed ad eandem rem pertineant. Id enim erit efficiendum, ut singularum rerum colorem proprium et historiam, ut eo verbo utar, enucleemus, i. e. ut apud quos scriptores natae vel in qua philosophia ortae sint, apud quos praecipue valuerint, a quorum denique ratione certo removendae sint, inquiramus.

---

[1]) Neque praetermittendum est in Ps.-Plutarchi libello complures partes ita exponi, ut in huiusmodi scriptis; de quorum indole ac rerum dispositione cf. praecipue W. Gerhäußer, Der Protreptikos des Posidonius (Diss. 1912), p. 34 sq. Ante omnia huc pertinet bonorum comparatio et philosophiae laus officiorumque enumeratio (Ps.-Plut. 5 C—6 A, 8 A—B).

Pars II.

Rerum comparatio.

Priusquam philosophorum scripta excutimus, ex re esse videtur scriptorum Graecorum, qui de educatione egerunt, conspectum ponere. Qua in re quae Graßberger Gesch. d. Erz. v. II p. 8 contulit, refero nomina breviter enarrans auctorum non tam temporis ratione, quam in scholas discriptorum: Pythagoras, Archytas, Plato, Xenophon, Antisthenes, Aristippus, Aristoteles, Pseudo-Arist. (v. Rose, Arist. pseudep. p. 72, 12), Theophrastus, Hieronymus, Aristoxenus, Clearchus, Cleomenes, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Lucianus, Iamblichus, Maximus Tyrius, Iohannes Chrysostomus. Praeterea Clementis Alexandrini *Παιδαγωγός* ex parte adhibendus est, quem e Stoicorum fontibus inrigari constat[1]); iisdem sine dubio permulta attribuenda sunt, quae Quintilianus exhibet[2]), ut iam satis clare postea eveniet. Fugere neminem potest scriptores illos in paucas scholas discribi: Socraticos, Peripateticos, Stoicos, Pythagoreos et Neopythagoreos. Quae cum ita sint, in cogitationibus examinandis id imprimis animadvertendum est, ut harum scholarum discrimina atque colores observentur. Scriptores, qui praeterea comparandi sunt, quod aut ad doctrinas cognoscendas fontes sunt aut similes res passim tractant, enumerare non tanti esse videtur. Locos capitulatim disponam.

Caput 1. De fine educationis.

Ps.-Plutarchus in initio libelli, quem sibi proponat finem, declarat: 1 A *τίνι (ἀγωγῇ) χρώμενοι σπουδαῖοι τοὺς τρόπους ἂν ἀποβαῖεν (οἱ παῖδες)*. Morum igitur perfectionem appetit. Adiciendi sunt deinde loci, quibus quae praecipue educando efficienda sint, cognoscimus: 2 A *εἰς τὴν*

---

[1]) v. P. Wendland, Quaestiones Muson., Christ, Gesch. d. gr. L. 4. A. p. 929 adn. 5.

[2]) v. Schanz, Gesch. d. röm. Lit. II 2² (1901), p. 357, v. Arnim, Leben u. Werke des Dio von Pr. p. 91, Radermacher, Mus. Rhen. LIV 286.

παντελῆ δικαιοπραγίαν, 4 C *πηγὴ γὰρ καὶ ῥίζα καλοκαγαθίας τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας*, 5 A *τοῦ . . . ὑγιαίνοντος καὶ τεταγμένου βίου*, 5 C *ταῦτα φορὰ καὶ συνεργὰ πρὸς ἀρετὴν καὶ πρὸς εὐδαιμονίαν*, 8 C *τὴν εὐταξίαν καὶ τὴν σωφροσύνην*, 11 D *περὶ τῆς τῶν παίδων εὐκοσμίας καὶ σωφροσύνης διείλεγμαι*, 12 A *τῆς τῶν παίδων εὐταξίας . . καὶ κοσμιότητος*, 14 B *πειρατέον οὖν εἰς τὸν τῶν τέκνων σωφρονισμὸν πάνθ' ὅσα προσῆκεν ἐπιτηδεύειν*. Quibus locis iterum probatur scriptorem solum morum cultum expetere. Quem educandi finem eundem apud omnes philosophos iisdem non raro verbis expressum inveneris[1]). Sed ne philosophi quidem animum talis opinio prae se fert: omnium nempe est, qui de educatione praecipiunt. Quam erudiendi rationem Isocrates *περὶ ἀντιδόσ.* 285 ita exponit: iuvenes, quibus recta educatio deest, vitiis se tradunt *ἀμελήσαντες τοῦ σπουδάζειν, ὅπως ἔσονται βελτίους*; in Ps.-Isocratis cohortatione *Πρὸς Δημόν.* legimus: (2) *πρέπει . . παιδείας ἀντιποιουμένους τῶν σπουδαίων ἀλλὰ μὴ τῶν φαύλων εἶναι μιμητάς*, ib. 4: laudandi sunt, *ὅσοι . . τοῖς νεωτέροις εἰσηγοῦνται . . ὅπως τὰ τῶν τρόπων ἤθη σπουδαῖοι πεφυκέναι δόξουσι*, ib. 5: prima erudiendi ratio *ἀρετή* est, qua omnis vita excolitur. Si deinde, quibus verbis scriptor virtutis naturam designet[2]), inspicimus, non magis quicquam sequi videtur, cum et illa paene communia sint. Quare haud recte Dyroffius (l. l. p. 260) finem educationis ab hoc scriptore propositum Stoicae scholae attribuit, quod vocabulum *σπουδαῖος* tam saepe occurrit (1 A, 2 B, 3 D etc.). Nam licet ea vox apud Stoicos saepissime inveniatur, tamen eandem apud ceteros non raram esse constat (ut apud Aristot. Pol. 1260 b 17). Equidem hunc scriptorem, cuius summa virtus *σωφροσύνη* sit, Peripateticae potius notioni propiorem esse puto[3]). Ad virtutem enim describendam minus verbum *καλοκαγαθία* (4 C) spectare crediderim, quippe quod nimis vulgare quoddam sonet, quam *βίος τεταγμένος* (5 A), *εὐταξία, σωφροσύνη* (8 C), *εὐκοσμία* (11 D), *κοσμιότης* (12 A): virtutis natura igitur aut vulgari sentiendi more exteriore agendi specie definitur aut notio pulchritudinis, decoris, mediocritatis in eo praevalet. Quam virtutis partem, quamquam iam apud veteres Stoicos multum valuit (cf. *τὰ καθήκοντα* et *τὸ πρέπον*), tamen postea mediae Stoae temporibus plus viguisse constat[4]). Certo

[1]) Clemens Al. *Παιδ.* I 5, 16 *παιδαγωγίαν δὲ ὁμολογοῦμεν εἶναι ἀγωγὴν ἀγαθὴν ἐκ παίδων εἰς ἀρετήν*.

[2]) De vocabulis *εὐκοσμία, κοσμιότης, σωφροσύνη*, praeterea *εὐσχημοσύνη, αἰδώς*, aliis v. Graßberger. l. l. v. II 72, I 173, 270.

[3]) Quam virtutem vel Pythagoricam vel Peripateticam esse Schickius l. l. p. 27 adn. 48 adnotavit.

[4]) Cicer. De off. I 27, 93 . . *verecundia et quasi quidam ornatus vitae, temperantia et modestia . . et rerum modus.*

talis aestimatio Peripateticis plane respondet, cum Theophrasti liber *περὶ παιδείας ἢ περὶ σωφροσύνης* inscriptus fuerit (Diog. Laert. V 42); item apud Neo-Pythagoreos vox *σώφρων* potior est[1]). Contra non est praetereundum *σοφίαν*, quae est revera Stoica virtus, haud ita multi a scriptore aestimari. Atque eum sapientiam, quae in rebus cognoscendis philosophiaeque doctrina sita est, omnino ignorare postea videbimus: nunc satis sit demonstrare iis locis, quibus verbo *σοφός* utitur, nihil certius effici. Solis duobus cum virtute coniungitur: 7 F *τὸ δὲ τοῖς λογισμοῖς περιεῖναι τῶν ἡδονῶν σοφοῦ . . (ἐστίν)*, quo loco variandae dictionis causa optimus vir varie exprimitur (*ἀνδρός . . . εὐηνίου ἀνθρώπου . . . σοφοῦ . . . οὐ τοῦ τυχόντος*), et 10 C *τό γε μὴν ἀόργητον ἀνδρός ἐστι σοφοῦ*, item 10 E . . . *τῆς σοφίας* (de Socrate et Platone) — ceteri loci (3 C, 6 B, 13 F) nihil valent —, sed nusquam virtutem ipsam sapientiam, in cognoscendo esse subaudiendum est, nedum probetur. Quodsi deinde Dyroffius *δικαιοσύνην* permagni fieri censet, quod 12 D Pythagorae aenigma *μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν* explicatur *ὅτι δεῖ δικαιοσύνης πλεῖστον ποιεῖσθαι λόγον καὶ μὴ ταύτην ὑπερβαίνειν*, non est neglegendum explicationem eo loco proferri, ubi scriptor non sua praecepta exhibet, sed aliena una cum explicatione aliunde collata. Nam ne intellegi quidem possit scriptorem, qui iustitiam plurimi facit, alium locum non habere, quo de hac virtute praestantissima disserat. Vox *δικαιοπραγία* denique sane bene Stoica est, sed etiam Aristoteli eam vindicemus oportet, apud quem omnium virtutum summam significat, cum *δίκαιον* et *νόμιμον* idem valeant (v. Bonitz, Index Aristot. s. v. *δικαιοπραγεῖν*). Quae cum ita sint, finis educationis, quem scriptor sibi proponit, si quidem in tanta praeceptorum varietate finis unus est, Peripateticis vel fortasse mediae Stoae nonnumquam magis, certe non minus respondere videtur quam veteris Stoae doctrinae.

Caput 2. De uxore et concubitu.

Rerum, quas Ps.-Plutarchus 1 A—2 A et 13 F tractat, summa haec est: in uxore eligenda agendum est, ne sit humilis atque infamis, quia parentum infamia honorisque maculae in liberos propagantur; eadem ne sit coniuge multo nobilior ditiorve, videndum est (13 F). In concubitu ut vino nimio abstineant parentes, praecipitur. Atque praeceptum, quo ne uxor nobilitate aut divitiis maritum antecedat monetur,

[1]) Ps.-Archyt. ap. Stob. Ecl. II 229, 27 W, vel Theano, ep. 4 (Epist. Gr. Herch. 601) *ἔστι δὲ ἀγαθῆς μητρὸς οὐχ ἡ πρὸς ἡδονὴν ἐπιμέλεια τῶν παίδων, ἀλλ' ἡ πρὸς τὸ σῶφρον ἀγωγή.*

per se tractandum esse videtur; non enim soli philosophi[1]) ita censebant, sed vulgaris sermonis locus communis erat. Quod quam vulgare fuerit, scriptor ipse proverbio *τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα* comprobat. De mulierum fastu ac superbia, qua divitiis suis nisae maritos sub potestatem suam redigebant, imprimis posteri temporibus Romanis homines querebantur.[2]) Hic scriptor in ea re nihil profert, quod non omnibus temporibus aptum fuerit. In praeceptis de matrimonio compositis electionem uxoris permagni momenti fuisse consentaneum est[3]). Quae causa sit, cur tam diligenter eius rei cura habeatur, Aristotelis, ut exemplum adferam, praecepto discimus, Pol. VII 1335 b 30: (de nimis adulescentium ac nimis veterum parentum liberis) *τὰ ἔκγονα . . . ἀτελῆ γίγνεται καὶ τοῖς σώμασι καὶ ταῖς διανοίαις*. Simili modo Ps.-Plutarchus cum de parentum condicione praescribit, non solum prolis infamiam respicit, sed etiam animos liberorum defectu aliquo revera affici ac debilitari intellegendum est. Nam verba 1 B *καὶ . . . τὰ φρονήματα . . . σφάλλεσθαι καὶ ταπεινοῦσθαι πέφυκε* plus valent, quam quod Euripidis versibus sequentibus illustratur, quibus parentum vitiis mente premi humilemque fieri filium exprimitur: talis hominis animum ac facultates similes esse nascendi condicionibus indicant. Idem ille locus Platonis imitationem perspicuam praebet; nam verba *τῶν ὑπόχαλκον καὶ κίβδηλον ἐχόντων τὸ γένος* aliter intellegi non posse crediderim, nisi ut Plato usurpavit Pol. III 415 A, B *ἔκγονος ὑπόχαλκος ἢ ὑποσίδηρος*. Quamquam igitur hoc loco Platonis imitatio manifesta est, tamen tales opiniones non ulli auctori propriae attribuendae esse videntur, quoniam quae Ps.-Plutarchus contendit Euripidisque verbis comprobat, sine dubio vulgariora erant. Atque paulo latius hic repetendum esse videtur, quoniam illa Ps.-Plutarchi verba opiniones maioris momenti attingunt. Nam doctrinam redolere videntur, qua liberorum corporis atque animi facultates e parentum condicione derivantur. De qua re Schickius, Favorin *περὶ παίδων τροφῆς* I. copiose egit. Favorini sententiam (ap. Gell. N. A. XII, 1, 14 *quamobrem non frustra creditum est, sicuti valeat ad fingendas corporis atque animi similitudines vis et natura seminis etc.*) Stoicorum doctrina, quae erat de generatione et seminis natura, niti rectissime comprobat (p. 6 adn. 11);

---

[1]) cf. Platon. Leg. 774 C: si dos aboletur, *ὕβρις ἧττον γυναιξὶ καὶ δουλεία ταπεινὴ καὶ ἀνελεύθερος . . . τοῖς γήμασι γίγνοιτ' ἄν* (Ps.-Plut. *τῶν προικῶν δοῦλοι*), Aristot. Eth. Nic. VIII 1161 a 1 *ἐνίοτε δὲ ἄρχουσι αἱ γυναῖκες ἐπίκληροι οὖσαι . . διὰ πλοῦτον καὶ δύναμιν,* Iamblich. De v. Pyth. 84 *χρυσὸν ἐχούσῃ μὴ πλησιάζειν ἐπὶ τεκνοποιίᾳ,* alia.

[2]) cf. Schütze, Iuvenalis ethicus, c. VIII *'feminarum vitia'* et Iuvenal. praec. s. VI 161, 139.

[3]) Xenophon, Mem. II 2, 4 *φανεροὶ δ' ἐσμὲν καὶ σκοπούμενοι, ἐξ ὁποίων ἂν γυναικῶν βέλτιστα ἡμῖν τέκνα γένοιτο, αἷς συνελθόντες τεκνοποιούμεθα.*

quoniam in seminibus animus vel pneuma est, liberorum et corpora et ingenia eis definiri apparet. Quam doctrinam si ad Ps.-Plutarchi opinionem adhibemus, eum sine dubio a Stoicorum ratione plane abesse perspicuum est. Quid enim de matris statu — de patre quidem tacet, ex qua re concludi potest eum non de parentibus, ut Stoicorum doctrinae convenit, agere sed locum communem de uxore eligenda proferre — aliud praecipit quam *εὐγένειαν*? Minime sanitatem, naturam intemeratam, virtutem vel corporis vel ingenii eius respicit, sed solam nobilitatem, quae, ut ex verbis eius luce clarius apparet, non idem atque *εὐφυΐα*, sed statum elatiorem in hominum aestimatione positum significat.

Item praeceptum, quo ne viri e paelicibus mulierculisve abiectis liberos procreent monetur, multorum philosophorum commune invenitur. Apud Iamblichum De v. Pyth. 95 saepiusque *παλλακίδες* vituperantur; imprimis autem Stoicos in matrimonii sanctitate defendenda magna cum severitate operam navasse constat. Clemens Alex. in ea parte Paedagogi, quae inscribitur *Τίνα διαληπτέον περὶ παιδοποιίας*, non modo castimoniam matrimonii servari iubet (§ 92, 97 laudatur *ἡ γαμήλιος σωφροσύνη*, reprehenduntur *αἱ ἑταιρικαὶ ἡδοναί*), sed etiam in uxore eligenda simili modo suadet: 91 *μὴ σπεῖρε, οὗ μὴ βούλοιο ἄν σοι φύεσθαι τὸ σπαρέν*. Sed iam qua mente id audiendum sit, apparet: libidines impudicae maritorum, qui extra matrimonium voluptates venerias sectantur, castigantur. Eodem spectant, quae Musonius apud Stob. v. III p. 286, 10 Hense declarat: *χρὴ ... μόνα ἀφροδίσια νομίζειν δίκαια τὰ ἐν γάμῳ καὶ ἐπὶ γενέσει παίδων συντελούμενα, ὅτι καὶ νόμιμά ἐστιν*, et a Philone[1]) *ταῖς συνόδοις νομίμαις* opponuntur *ἔκνομοι σύνοδοι*. Neque aliter Seneca de maritorum castitate iudicavit.[2]) Quamquam Ps.-Plutarchus ipse quoque verba *τοῖς νομίμου παιδοποιίας γλιχομένοις* scribit[3]), eum tamen ab illis philosophis separandum esse elucet, qui meretricum et paelicum usum non ob matrimonii legitimi sanctitatem, sed propter infamiam, quae proli evenit, reprehendat. Quare et veram Stoicorum posterorum temporum in moribus rigorositatem ignorat et a Cynicorum concubitus tractandi ratione abhorret: nam verba *μὴ ταῖς τυχούσαις γυναιξὶ συνοικεῖν* Cynicorum nec non veteris Stoae opinioni cum industria opponi videntur. Sed iterandum est, quae hic scriptor exponit, solam ad nobilem uxoris condicionem spectare. Quod etiamsi, id quod sine dubio ex parte se habet ita, facile e scriptoris ingenio explicari possit, tamen operae pretium esse videtur philosophorum de matrimonio et uxore deligenda

---

[1]) De toto loco v. Wendland, Philo u. d. kynisch-stoische Diatribe, p. 35.

[2]) cf. Ep. 94, 26 *scis ... tibi nil esse debere cum paelice.*

[3]) cf. Iamblich. De v. P. 211: *τὰς ἐπὶ τεκνοποιίᾳ σώφρονί τε καὶ νομίμῳ γινομένας (γεννήσεις).*

opiniones breviter examinare.[1]) Atque de quaestione saepe ac varie tractata, qua num uxorem duceret vir sapiens vel omnino utrum uxor ducenda esset necne quaerebatur, hic non est agendum, sed quae in uxore ut viri eligentes exigerent philosophi suaserint. Plerumque earum rerum, quae huc pertinent, pulchritudinem, divitias, nobilitatem, virtutem dico, tres priores virtute sola praelata repudiantur (cf. e. g. Plut. praec. coniug. 22)[2]). Tamen eos philosophos, qui externa „bona" aliquanti aestimabant, in uxore eligenda nobilitatem ac divitias non neglexisse consentaneum est, ut Peripateticos, quorum opiniones Theophrasti iudicio illustrantur: Hieronym. adv. Iovin. I 47 ... *si pulchra, si bene morata, si honestis parentibus* (uxor est). Immo si testimonia deessent, in ea re Peripateticos et Stoicos non consensisse nemo negaret.

Iam accuratius Ps.-Plutarchi sententia inquirenda est. Quid de *εὐγενείᾳ* iudicet, his verbis explanatur: *τοῖς ἐπιθυμοῦσιν ἐνδόξων τέκνων γενέσθαι πατράσιν κ. τ. λ. . . . τὰ τῆς δυσγενείας ὀνείδη . . . εὐγένεια, ἧς τὸ πλεῖστον λόγον ποιητέον.* Profecto magnum malum infamia est, quae totam hominis vitam perdat (*ἀνεξάλειπτα*); qui hoc malo affectus est, quamvis sapiens et virtutis plenus sit — sic enim concludere oportet — infamiam delere non potest. Num quid talis opinio veteris Stoae de fama ac nobilitate iudicium sapit? Rem tritam tractare longum est, audiamus solius Chrysippi verba ap. Ps.-Plutarchum *ὑπὲρ εὐγενείας* (fr. 350 v. Arn.) *„ἰσοτιμίας περίτηγμα καὶ διάξυσμα" τὴν εὐγένειαν καλεῖ. μηδὲν ἄρα διαφέρειν, ὅτου παρὰ πατρὸς γεγονὼς τυγχάνῃς, εὐγενοῦς ἢ μή.* Habes iudicium Ps.-Plutarchi opinioni plane contrarium. Contra in media quae vocatur Stoa ut cetera bona externa, sic gloriam ac bonam famam inter vera „bona" habitas esse constat[3]). In Ps.-Plutarchi tractatione, quam supra attuli, ubi praecipue Chrysippi nobilitatis neglegentia refutatur, Posidonius quoque adhibetur (cap. 18), qui sermone cum Tuberone habito ea profert, quae alibi Aristoteli dantur (cf. Plut. Moralia ed. Bernard. v. VII 260). Eiusdem illius philosophi in mentem nobis venit, cum legimus 1 C *ὥσπερ ἀμέλει μεγαλαυχίας ἐμπίμπλανται καὶ φρυάγματος οἱ γονέων διασήμων,* comparato Senecae loco De ira

---

[1]) v. Fr. Bock *Aristoteles, Theophrastus, Seneca de matrimonio* (Diss. 1898; Leipz. Stud. 19).

[2]) de reliquis (Aristotele, Hierocle, Antipatro) v. Bockium l. l., praeterea Schütze *Iuvenal. eth.* c. VIII. Copiose de ea opinione Musonius exponit apud. Stob. Ecl. IV, p. 540, 8 H.

[3]) e. g. Cicer. De fin. III 57: ... *bonam famam ipsam propter se praepositam et sumendam esse dixerunt esseque hominis ingenui et liberaliter educati velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris etc.* Eodem modo Ps.-Plut sermones hominum magni aestimat: cf. *τοῖς ἐλέγχειν καὶ λοιδορεῖσθαι βουλομένοις;* cf. Senecae Ep. 102, 3.

II 21, 7 *non vides ut maiorem quamque fortunam maior ira comitetur? in divitibus et nobilibus et magistratibus praecipue adparet, cum quidquid leve et inane in animo erat, secunda se aura sustulit.* Illam enim alterius de ira libri partem, cap. 19—21, e Posidonii libris περὶ παθῶν fluxisse verisimillimum est[1]). Quae cum ita sint, mihi quidem dubium non est, quin Ps.-Plutarchi nobilitatis et bonae famae aestimatio mediae potissimum Stoae vel etiam Peripato respondeat, dummodo alicui philosophiae vindicanda sit: certe a vetere Stoa vel a Cynicorum ratione[2]) alienissima est.

---

[1]) v. Pohlenz, De Posidonii libris περὶ παθῶν (Fleck. Jahrb. Sup. XXIV 594). De illo Senecae loco, quoniam in educationis doctrina permagni momenti est, latius agendum videtur. Pohlenzii argumentis aliqua addi posse existimo: quae maxima sunt, enarro. Seneca eo loco de irae remediis disserit, quae in educando valent, et a doctrina, qua animi status e corporis condicione elementorumque mixtura derivatur, orditur, quam Posidonii quoque fuisse e Galeni libro περὶ τῶν τῆς ψυχῆς ἠθῶν p. 820 K. apparet. Deinde c. 20, 2 *plurimum potest consuetudo* e. q. s.: consuetudo = ἐθισμός in Posidonii de educatione opinionibus multum valuit, qui quoniam irrationales animi facultates esse contra veterem Stoam censeret, earum virtutem sic explicaret: Galen. de Hipp. et Plat. dogm. p. 467 K. ἐν γὰρ ταῖς ἀλόγοις τῆς ψυχῆς δυνάμεσιν ἐπιστήμας οὐκ ἐγγίγνεσθαι . . . ἀλλὰ τούτοις μὲν τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἐξ ἐθισμοῦ τινος ἀλόγου παραγίγνεσθαι. Tota illa Senecae tractatio eo tendit, ut facultates partis animi irrationalis, quae pueris natura insunt, non extinguendas, sed in rectum modum componendas rationique subiciendas esse comprobetur. Quae sententia Posidonii psychologiae plane respondet. Itaque quam Seneca vocat *iram*, idem sonat ac vox Graeca θυμός. Si Seneca monet, *ne iram nutriamus aut indolem retundamus,* indoles alia esse non potest, nisi illa animi facultas irrationalis natura insita. Posidonius ap. Galen. l. l. p. 466 exigit, ut ratio regat facultates, quae θυμός et ἐπιθυμία dicuntur, idque ita, ut neque nimis feroces neque debiles ac languidae sint. Imago equorum aurigaeque, qua Posidonius l. l. copiose utitur, apud Senecam redit: *ut modo frenis utamur, modo stimulis.* In facultatum naturalium numero etiam cupiditas vincendi est (Galen. l. l. p. 459 ὁρῶμεν δ' αὐτὰ — τὰ παιδία — νικᾶν ἐθέλοντα καὶ κρατεῖν). Quare ambitio et aemulatio recte excolendae sunt: Seneca l. l. 21, 5 *in certaminibus adsuescat non nocere velle, sed vincere.* Quod denique ad superbiam attinet, eandem mediocritatem quam in affectibus (Galen. π. τ. τ. ψυχ. ἠθ. p. 820: συμμέτρους τὰς τῆς ψυχῆς κινήσεις) efficiendam esse elucet: ut sui aestimatio modica ac virtutis fiducia laudandae sunt, ita et *exsultatio, nimia aestimatio sui, tumor* reprehenduntur et animus humilis ac servilis abiciendus est, Sen. 21, 4 *nihil humile, nihil servile patiatur (puer)* et 3 *spiritus servitute comminuitur.* Quae cum ita sint, Senecae capita illa ad Posidonii opiniones cognoscendas adhibere sine dubio nobis licet.

[2]) Nam equidem pro certo habeo hunc scriptorem illam εὐγενείας notionem plane ignorare, quam Cynici imprimis philosophi vulgari nobilitatis aestimationi contrariam effecerunt, qua εὐγένεια et corporis et animi praestantiam, statum supra debilem hominum multitudinem elatum sonabat (cf. Jöel, Der echte u. d. xenoph. Sokr. v. II p. 349—61 de Antisthene et Schick. l. l. p. 35 adn. 64., p. 37. adn. 69). Quodsi Ps.-Plutarchus quoque εὐγένειαν in prolis facultatibus revera valere

Alterum sobrietatis praeceptum (1 D—2 A) et in Platonis Legibus et in Pythagoreorum institutis legitur: Plat. Leg. 775 B *δεῖ μὴ τῶν σωμάτων διακεχυμένων ὑπὸ μέθης γίγνεσθαι τὴν παιδουργίαν*, Iamblich. De v. Pyth. 211, Ocelli Lucani (Mullach, Fr. ph. Gr. I 388) c. 4, quod continet praecepta generationis, *μήτε πληρώσει χρῆσθαι τροφῆς ἀκαίρου, μήτε μέθῃ, μήτε ἄλλῃ τινὶ ταραχῇ*. Idem Stoicorum opinionibus aptissimum esse ex iis, quae paulo supra exposita sunt[1], apparet. Sed locis, quos laudavi, eam rem in veterum educandi praeceptis communem fuisse et imprimis in ea educandi doctrina viguisse comprobatur, quam ante Stoae aetatem apud Peripateticos excultam esse Schickius l. l. in parte altera luculentissime demonstravit. Ex iisdem illis locis apparet eam rem copiosius tractandam esse; omnino enim ut coitus summa cum abstinentia ac modestia fiat, monet Iamblichus: *πρώτην μὲν εἶναι καὶ μεγίστην πρόνοιαν τὸ προσάγειν ἑαυτὸν . . . σωφρόνως τε καὶ ὑγιεινῶς βεβιωκότα τε καὶ ζῶντα* vel Plato: . . . *περὶ γάμους, ἐν οἷς ἔμφρονα μάλιστα εἶναι πρέπει νύμφην καὶ νυμφίον*. Sequitur hunc scriptorem eam de generatione praecipiendi partem tangere ita, ut praeceptum secundarium praebeat, rationem totius rei omittat. Quod ei facile accidit, qui ex aliorum scriptis nonnulla excerpit et ea, quae ipsi maxime adrident. Non est denique praetermittendum eum de cura matrum praegnantium earumque vivendi modo tacere (cf. quae exponunt Plato, Aristoteles, Xenophon, *Λακεδ. πολιτ.* 1, 3).

Caput 3. De natura, institutione, exercitatione.

Ps.-Plutarchus 2 A—3 B de virtutis perfectae condicionibus disserit quae sunt *φύσις, λόγος* vel *μάθησις, ἔθος* vel *ἄσκησις*. Ac primum quidem omnes necessarias esse declarat, nisi defectus virtutis fiat. Quam condicionum divisionem vulgarem ac tritam fuisse pernotum est. Ut in artibus ac scientiis (Ps.-Plut. *ὃ κατὰ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν λέγειν εἰώθαμεν*)[2], sic in sapientia atque virtute valebat[3]. Neque sane ex ea re quicquam efficitur: id quaerendum est, quae ratio inter illas condiciones intercedat.

---

censet, Schickium recte iudicasse puto, pui tali opinioni „altgriechische Anschauungen“ inesse censet. Quare cavendum est, ne in opinione, quae quin plane vulgaris sit nihil obstat, philosophiae ullius doctrinam reconditam indagemus.

[1]) cf. Ps.-Plut.: *φίλοινοι γὰρ καὶ μεθυστικοὶ γίνεσθαι φιλοῦσιν, ὧν ἂν τὴν ἀρχὴν τῆς σπορᾶς οἱ πατέρες ἐν μέθῃ ποιησάμενοι τύχωσιν.*

[2]) artium scientiarumque ratio in mores ac virtutem transfertur etiam ab Aristot. Pol. 1337 a 18 *πρὸς πάσας δυνάμεις καὶ τέχνας . . . δῆλον καὶ πρὸς τὰς τῆς ψυχῆς πράξεις.*

[3]) de multis locis praecipue Philonis v. Wyttenbachium. Animadv. ad 2 A.

Ps.-Plutarchus naturae defectum (2 C *τοὺς οὐκ εὖ πεφυκότας*) aliquatenus recta disciplina atque usu emendari posse censet. Et 2 D quanta sit vis *ἐπιμελείας* et *πόνου* multis exemplis adhibitis exponit i. e. consuetudinis, quae hoc loco *ἔθος* et *μάθησιν* complectitur natura opposita (cf. 3 A *ἔθη καὶ διδασκαλίαι καὶ βίων ἀγωγαί*). Quod item apud ceteros scriptores occurrit: ubique fere condiciones illae eo consilio distribuuntur, ut institutionis ususque momentum in perfectione adipiscenda probetur. Comparemus e. g. Xenophontis sententiam: Cyrup. VIII 5, 75 *ἀλλ᾽ ὥσπερ καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι ἀμεληθεῖσαι μείονος ἄξιαι γίγνονται καὶ τὰ σώματά γε τὰ εὖ ἔχοντα, ὁπόταν τις αὐτὰ ἀνῇ ἐπὶ ῥᾳδιουργίαν, πονήρως πάλιν ἔχει, οὕτω καὶ σωφροσύνη κ. τ. λ.* Quamquam sensus alius est, verba et argumenta similia sunt (*αἱ ἄλλαι τέχναι* —Ps.-Pl. 2 A, *ἀμελεῖν* — 2 C sq. de vi *ἐπιμελείας* et E *ἀμεληθεῖσα* etc., *σώματα* — 2 E *ποία δὲ σώματος ἰσχὺς κ. τ. λ.*, *ἐπὶ ῥᾳδιουργίαν* — 2 C *ῥᾳθυμία*). Praeterea Memor. I 2, 23 (*ἄσκησις*), I 6, 7 (ubi naturam usu superari demonstratur: *οἱ φύσει ἀσθενέστατοι τῷ σώματι μελετήσαντες τῶν ἰσχυροτάτων ἀμελησάντων κρείττους . . . γίγνονται*, cf. Ps.-Plut. 2 D—F *τὸ παρὰ φύσιν τῷ πόνῳ τοῦ κατὰ φύσιν ἐγένετο κρεῖττον*), II 1, 28 (*πόνος* et *ἐπιμέλεια*), III 9, 1 (*πάντας χρὴ καὶ τοὺς εὐφυεστέρους καὶ τοὺς ἀμβλυτέρους τὴν φύσιν . . . καὶ μανθάνειν καὶ μελετᾶν*), II 6, 39, III 3, 11. Adiciendum est, quod Ps.-Plutarchus in exemplo affert, 2 E *ἀλλ᾽ ἀμεληθεῖσα* (*γῆ*) *χερσεύεται καὶ ὅσῳ τῇ φύσει βελτίων ἐστίν, τοσούτῳ μᾶλλον ἐξαργηθεῖσα δι᾽ ἀμέλειαν ἐξαπόλλυται*, i. e. optima quaeque natura maxime cura atque exercendo eget; cf. Xenoph. Mem. IV 1, 3 *ἐδίδασκεν* (*Σωκράτης*), *ὅτι αἱ ἄρισται δοκοῦσαι εἶναι φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται κ. τ. λ.* Sequuntur exempla, quo in numero equus utrimque pariter illustratur: Xenoph. *τῶν τε ἵππων τοὺς εὐφυεστάτους θυμοειδεῖς τε καὶ σφοδροὺς ὄντας, εἰ μὲν ἐκ νέων δαμασθεῖεν, χρηστοτάτους . . . γιγνομένους, εἰ δὲ ἀδάμαστοι γένοιντο, δυσκαθεκτοτάτους* — Ps.-Plut. 2 F *τίνες δ᾽ ἵπποι καλῶς πωλοδαμνηθέντες οὐκ εὐπειθεῖς ἐγένοντο . . ., τίνες δὲ ἀδάμαστοι μείναντες οὐ σκληραύχενες καὶ θυμοειδεῖς ἀπέβησαν*; Platonem eodem modo sensisse constat: Phaedr. 354 C, Leg. 795 (*ἔθος* naturae superius), 797 E (*ἔθος* et *βίου ἀγωγή*), Polit. 491 D *παντὸς σπέρματος πέρι . . . ἴσμεν, ὅτι τὸ μὴ τυχὸν τροφῆς, ἧς προσήκει ἑκάστῳ, μηδ᾽ ὥρας μηδὲ τόπου, ὅσῳ ἂν ἐρρωμενέστερον ᾖ, τοσούτῳ πλειόνων ἐνδεῖ τῶν πρεπόντων*, (item *ψυχαί*). Corporis exemplum (Ps.-Pl. 2 E) et *γυμνασίας* vis pariter exprimitur Theaet. 153 B *ἡ τῶν σωμάτων ἕξις οὐχ ὑπὸ ἡσυχίας μὲν καὶ ἀργίας διόλλυται, ὑπὸ γυμνασίων δὲ καὶ κινήσεων ὡς ἐπὶ πολὺ σῴζεται*; Quare huius capitis argumentum a *Socraticorum* vel potius eorum aetatis[1]) cogitationibus alienum non

---

[1]) Eadem fere sententia Isocratis est: *Περὶ ἀντιδ.* 186 *ταῦτα . . . κατὰ πασῶν λέγομεν τῶν τεχνῶν*; natura quidem potior est, sed (191) *κἀκείνους ἴσμεν τοὺς*

esse conspicuum est. Eaedem cum sint in philosophiae parte cohortativa, quod educationem atque institutionem omnibus necessarias esse demonstrant, apud posteros semper eas viguisse consentaneum est. Ut haec adferam: Epictetus Diss. II 9, 13 Sch. *διὰ τοῦτο παραγγέλλουσιν οἱ φιλόσοφοι μὴ ἀρκεῖσθαι μόνῳ τῷ μαθεῖν, ἀλλὰ καὶ μελέτην προσλαμβάνειν, εἶτα ἄσκησιν κ. τ. λ.* vel Musonius ap. Stob. Ecl. II 193, 9 W. *τὸ ἔθος ἐδόκει εἶναι ἀνυσιμώτερον* (*τοῦ λόγου*), ibid. 238, 26 . . . *διδακτέον* . . . deinde *ἐθιστέον* vel Lucianus Anach. c. 20: *φύσις, παίδευσις, μαθήματα . . . ὑφ' ὧν τά τε εὐφυῶς διακείμενα βελτίω παρὰ πολὺ γίγνοιτ' ἂν καὶ τὰ φαύλως ἔχοντα μετακοσμοῖτο πρὸς τὸ βέλτιον.* Consimilem vero locum Seneca praebet Ep. 50, 6 *sed nec indurata despero. nihil est, quod non expugnet pertinax opera* (cf. *πόνος*) *et intenta ac diligens cura* (cf. *ἐπιμέλεια*): *robora in rectum quamvis flexa revocabis, curvatas trabes calor explicat et aliter natae in id finguntur, quod usus noster exigit* (cf. *τὸ παρὰ φύσιν . . . τοῦ κατὰ φύσιν ἐγένετο κρεῖττον*). Res eadem est, exempla miro modo contraria ratione comparantur. Neque solum apud Stoicos vel eos, qui iuxta sunt, talis opinio valet, quam per se Cynicorum rationi maxime respondere negari non potest, sed latior erat: secundum Iamblich. De v. Pyth. 201 sq. educatio a prima aetate instituenda est, 203 *ταχέως γὰρ ἐξίστασθαι τὸ ζῷον ἐαθέν τε καὶ ὀλιγωρηθὲν εἰς κακίαν τε καὶ φαυλότητα* et de *ἐθισμῷ* 204 *οὐκοῦν ἐπί γε τῶν λοιπῶν ζῴων τοῦτο ὁρᾶσθαι συμβαῖνον, ὅσα ὑπ' ἀνθρώπων παιδεύεται, ἀλλ' εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς, τόν τε σκύλακα καὶ τὸν πῶλον, ταῦτα συνεθίζεσθαί τε καὶ μανθάνειν, ἃ δεήσει πράττειν αὐτοὺς τελειωθέντας*; id. Protrept. c. 6 et ap. Stob. Ecl. II p. 229, 5 W. et De v. Pyth. 209 *δεῖν οὖν τούς τε παῖδας καὶ τὰς παρθένους ἐν πόνοις τε καὶ γυμνασίοις καὶ καρτερίαις ταῖς προσηκούσαις τρέφειν τροφὴν προσφέροντας τὴν ἁρμόττουσαν φιλοπόνῳ τε καὶ σώφρονι καὶ καρτερικῷ βίῳ.* Ex hoc loco Schickius l. l. p. 27, adn. 49, ubi Iamblichi fontem — nempe iure — Aristoxenum fuisse ait, laborum et durae exercitationis commendationem Peripateticorum quoque propriam fuisse concludit. Cum Iamblichi autem opinione facillime comparari posse, quae Ps.-Plut. hoc loco et 8 C, D, 9 D, 12 C profert; quare in huius scriptoris sententiis Stoicorum vel Cynicorum vestigia agnoscere minime oportere. Cui sententiae equidem plane adsentior. Mihi quoque Ioëlius non recte iudicasse videtur, qui l. l. p. 51, adn. 1 de hoc Ps.-Plutarchi capite scribat „es strotzt von kynischen Tendenzen". Nam nemo quidem negabit, quae ille vir doctus argumenta adfert, refutari non posse, cum

---

καταδεεστέραν . . τὴν φύσιν ἔχοντας . . ταῖς ἐπιμελείαις προέχοντας, ὅτι γίγνονται κρείττονες οὐ μόνον ἑαυτῶν ἀλλὰ καὶ τῶν εὖ μὲν πεφυκότων, λίαν δ' αὐτῶν κατημεληκότων; cf. praeterea 209 *ταῖς φιλοπονίαις ἁλισκομένας* et Ps.-Pl. 2 C *τὰ χαλεπὰ ἐπιμελείαις ἁλίσκεται.*

omnes res, de quibus hic quaestio est, in Cynicorum opinionibus sine dubio viguerint: sed locis, quos contulimus, eas res reliquis quoque philosophis atque temporibus quibusdam vulgo etiam notas communesque fuisse satis demonstrari puto. Quodsi Joëlius fortasse recte (sed cf. de hac re Schickium l. l. p. 31 et Iamblichi verba De v. Pyth. 209, quae supra laudavi) exemplum Lycurgi eiusque canum ex Cynico quodam fonte derivat (l. l. p. 50 sq.), tamen apud Ps.-Plutarchum de totius capitis origine nihil ea observatio efficit.

Repetamus nunc, quod supra effecimus: in illa condicionum divisione earumque ratione mutua explicanda nihil fere esse videtur, quod non multorum philosophorum commune fuerit. Sed scriptor iam accuratius eam sententiam ad mores et educationem applicat: 3 A *καὶ γὰρ τὸ ἦθος ἔθος ἐστὶ πολυχρόνιον καὶ τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς ἐθικὰς ἄν τις λέγῃ, οὐκ ἄν τι πλημμελεῖν δόξειεν.* Qui locus ansam praebet, ut accuratius philosophos excutiamus. Atque neminem fugit verba, quae attuli, quam maxime Aristoteli et Peripateticis[1]) respondere: Eth. Nic. II 1103 a 18 *ἡ δ' ἠθικὴ ἀρετὴ ἐξ ἔθους περιγίγνεται. ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔσχηκε μικρὸν παρεκκλῖνον ἀπὸ τοῦ ἔθους* vel Arius Didym. de doctrina Peripatetica Stob. Ecl. II p. 116 W.: *τὸ μὲν οὖν ἦθος τοὔνομα λαβεῖν φησιν ἀπὸ τοῦ ἔθους . . . δι' ὃ καὶ τὴν ἠθικὴν (ἀρετὴν) ἐθικὴν εἶναι κ. τ. λ.* (cf. Eth. Nic. 1144 b 4—9, Eth. Eud. 1220 a 39—b 2). Tamen concedendum est eam quoque sententiam, qua *ἦθος* ex *ἔθος* derivatur, latius vagatam esse. Iam Platonis est: Leg. 792 A *κυριώτατον γὰρ οὖν ἐμφύεται πᾶσι τότε τὸ πᾶν ἦθος διὰ ἔθος.* Sed etiam Chrysippus et Stoici ita censebant: Alexander, de fato c. 27, p. 88: *τὰ δὲ ἤθη τῶν ἀνθρώπων τοιὰ καὶ τοιὰ διὰ τῶν διαφερόντων ἐθῶν γίνεται.* Nihilosetius in Ps.-Plutarchi verbis Peripateticorum imitationem equidem agnoverim. Nam verbis *ἄν τις λέγῃ κ. τ. λ.* scriptor eos respicere videtur, qui *ἠθικὰς ἀρετάς* easdem esse docent atque *ἐθικάς*, i. e. qui et *ἠθικάς* et *ἐθικάς* virtutes habent. Quos solos vel ante ceteros Peripateticos fuisse comprobari potest, si qua psychologia ea opinio nitatur intellegimus. Plato quamquam *ἔθος* et *ἐθίζειν* iam permagni aestimat, *ἐθικὰς ἀρετάς* ignorat. Aristotelis autem distinctio pervulgata est: Eth. Nic. 1103 a 14 *διττῆς δέ τῆς ἀρετῆς οὔσης, τῆς μὲν διανοητικῆς, τῆς δὲ ἠθικῆς, ἡ μὲν διανοητικὴ τὸ πλέον ἐξ διδασκαλίας ἔχει καὶ τὴν γένεσιν καὶ τὴν αὔξησιν . . . ἡ δ' ἠθικὴ ἐξ ἔθους περιγίνεται.* Quo fit, ut tota educatio in duas partes distribuatur, in *ἐθισμόν*, quo virtutes ethicae formantur, et institutionem rationalem. Stoici deinde ad Socratis opinionem reverterunt: virtus sola in sapientia est, partes, quae dicuntur irrationales animi, non sunt et, quae eis attribui solent, ex falsa rerum

---

[1]) cf. etiam Iamblichum ep. ad Sop. ap. Stob. Ecl. II 233 W.

cognitione proficiscuntur; virtus igitur sola doctrina efficitur. Num igitur quis in vetere Stoa virtutes quaerere potest, quae ex ratione ac sapientia nihil habent, sed sola consuetudine constant? Verbis Chrisippi, quae supra attuli, nihil aliud nisi mores hominum apud alios alios consuetudine fieri indicatur, sed minime virtus (*ἀρετή*) ex *ἔθει* derivatur. Contra mediae Stoae doctrina Platonis Aristotelisque imitationem prae se fert; in eos auctores tota eius, praecipue Posidonii,[1]) psychologia revocanda est. Consuetudinis (*ἐθισμοῦ*) igitur momentum apud Peripateticos eosque, qui eos secuti sunt, maximum fuisse concludi potest. Quod in educando plurimum valet: ante institutionem, priusquam ratio in pueris perfecta est, virtutes consuetudine efficiuntur (Aristot. Pol. 1336 a 18 *πάντα γὰρ ὅσα δυνατὸν ἐθίζειν, εὐθὺς ἀρχομένῳ βέλτιον μὲν ἐθίζειν, ἐκ προσαγωγῆς δ' ἐθίζειν*, 1337 a 18 *δεῖ . . . προεθίζεσθαι*). Neque denique desunt alia, quae in hoc Ps.-Plutarchi capite doctrinam Peripateticam redoleant: cf. Arium Didym. l. l. *ὧν γὰρ ἐκ φύσεως ἀρχὰς ἔχομεν καὶ σπέρματα, τούτων τὰς τελειότητας περιποιεῖσθαι τοῖς ἔθεσι καὶ ταῖς ὀρθαῖς ἀγωγαῖς* (cf. ibid. 118, 5 et Aristot. Eth. Nic. 1103 a 24 *τελειοῦσθαι δὲ — τὰς ἀρετὰς — διὰ τοῦ ἔθους*) et Ps.-Plut. 2 A *ἀρχαί—ἀκρότητες*. Adiciamus nunc locum sane non magni momenti, Diog. Laert. V 1, 18: Aristoteles *τριῶν ἔφη δεῖν παιδείᾳ· φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως*. Accedit locus, qui postea iterum erit tangendus, tamen hic quoque, si aliis argumentis adicitur, valet. Scriptor 2 C Pythagoram, Socratem, Platonem valde admiratur, quod omnes virtutis absolutae condiciones eis acciderunt: *εὐδαίμων μὲν οὖν καὶ θεοφιλής, εἴ τῳ ταῦτα πάντα θεῶν τις ἀπέδωκεν*. Non igitur omnes homines natura ad perfectionem pervenire possunt; sunt, quibus deorum benevolentia egregia quaedam indoles data sit. Talem opinionem, qua naturae praestantia ex deorum voluntate pendet, iam Aristoteles expressit Eth. Nic. 1179 b 20 *τὸ μὲν οὖν τῆς φύσεως δῆλον, ὅτι οὐκ ἐφ' ἡμῖν ὑπάρχει, ἀλλὰ διά τινας θείας αἰτίας τοῖς ὡς ἀληθῶς εὐτυχέσιν ὑπάρχει*.[2]) Apud posteros vero Peripateticos eam plus valuisse constat[3]): Eth. Eud. 1224 a 23 praeter condiciones *φύσιν, μάθησιν, ἄσκησιν* additur *ἐπιπνοίᾳ δαιμονίου τινὸς . . . ἢ διὰ τὴν τύχην· πολλάκις γὰρ ταὐτόν φασιν εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν καὶ τὴν εὐτυχίαν*.

Sed quamvis multa in Peripateticos nos revocent, audiatur et altera pars! Quae scriptor hoc capite tractat, nonnullis Chrysippi verbis

---

[1]) cf. Galen. De Hipp. et Pl. d. 466 K. *τῶν μὲν γὰρ ἀλόγων τῆς ψυχῆς μερῶν ἀνάγκη καὶ τὰς ἀρετὰς* <*ἀλόγους*> *εἶναι, τοῦ λογιστικοῦ δὲ μόνον λογιστικήν κ. τ. λ.*

[2]) Simile est Platonis illud *θείᾳ μοίρᾳ*.

[3]) v. Zeller, Philos. d. Griech. v. II 2 [2] p. 704; Arist. Eth. Eud. VIII 2, p. 1246 b 37, Magna Mor. II 8.

non minus respondere videntur. De virtutis condicionibus idem ille philosophus censuit: Alex. Aphrod. de anim. II 159 a *ἡ μὲν φύσις οὐχ ὁμοία πάντων, ἀλλ' ἔχει διαφοράν. . . . μεγίστην δὲ ἰσχὺν ἡ φύσις ἔχει πρὸς τὸ τοιοὺς ἢ τοιοὺς γίνεσθαι, μετὰ δὲ τὴν φύσιν τὰ ἔθη, ἐξ ὧν ἀμφοτέρων καὶ ἡ προαίρεσις ποιὰ γίνεται,* id. de fato c. 27 p. 88 *ἐφ' ἡμῖν τέ ἐστιν ἡ τῶν ἀρετῶν κτῆσις καὶ οὐκ ἄχρηστοι . . . ἡ διὰ τῶν βελτιόνων ἐθῶν κατὰ τοὺς νόμους ἀγωγή κ. τ. λ.* Comparantur praeterea a Dyroffio Alex. de an. 160 a *διὸ πολλῶν καλῶς πρὸς ἀρετὴν πεφυκότων φαυλότερόν τινες πεφυκότες ἀμείνους γίνονται πολλάκις τὴν ἔνδειαν τῆς φύσεως ἰασάμενοι τῇ παρ' αὐτῶν ἐξουσίᾳ* cum Ps.-Plut. 2 C, deinde Ps.-Plut. 3 B (*ἔθη, διδασκαλίαι, βίων ἀγωγαί*) cum Alex. de fat. p. 88 *δι' ἀσκήσεώς τε καὶ διδασκαλίας* et Plut. Stoic. rep. 1043 D *ἀγωγαί, ἔθη.* Sed nonne perspicuum est omnia haec iis cogitationibus inserenda esse, quas omnium fere inde a Socraticis philosophorum communes fuisse supra apparuit? Alius contra locus plus valet, 2 A *ἀρχαί — προκοπαί — χρήσεις — ἀκρότητες*[1]); quae verba Stoica esse negari non potest. Neque denique quemquam fugit pleraque huius capitis non minus Stoicis quam Peripateticis vindicari posse; nam quae vere ac genuine Peripatetica repperimus, magis subaudienda sunt, quam a scriptore exponuntur. Tamen si iterum utriusque sectae naturam respicimus, id pro certo haberi potest: philosophus vere Stoicus eas res nempe alio modo tractavisset. Nam ante omnia de instituendo ac docendo (*μάθησις*) multo copiosius egisset, id quod hic scriptor solo initio breviter tangit. Sed quoquo modo res se habet: cum et Peripatetica sine dubio et Stoica, ut videtur, sentiantur, facillimum est conicere cogitationes non utriusvis scholae genuinas, sed mixtas esse. Quae philosophia Peripatetico-Stoica ad tempora post mediam Stoam sita nos deducit. Veteris contra Stoae doctrinam, praecipue Chrysippum auctorem esse cur coniciamus, ne una quidem causa gravior est, at nonnulla magna cum probabilitate contraria sunt.

Caput 4. De nutricum, servulorum, paedogogorum moribus.

Praeceptum, quo scriptor monet, ut matres liberos ipsae nutriant (3 C—D), etsi per se certam quandam philosophiam non sapit, tamen quale hic legitur Stoicis fortasse vel potius populari quae vocatur philosophiae attribuendum esse videtur. Quam sententiam pleraque, quae alibi de eadem re invenimus, probant. Sed de ea re copiose investigavit Schickius l. l. p. 3, ubi ad Favorini diatriben a Gellio

---

[1]) Ceterum hoc verbum apud Aristotelem quoque legitur simili modo usurpatum Eth. Nic. 1107 a 8 (Schickius l. l. p. 40).

N. A. XII 1 traditam similitudines comparat[1]). Qui vir doctus illud praeceptum una cum liberorum primae educationis doctrina (*παίδων τροφή*), de qua paulo post accuratius agendum erit, tractans Ps.-Plutarchi, Quintiliani, Taciti locos in Stoicum fontem, Chrysippum dico, revocat, sed ex Favorini Soranique argumentis educationis vel nutritionis doctrinam iam ante Stoicos imprimis a Peripateticis excultam esse concludit. Non igitur esse videtur, cur Ps.-Plutarchi verba e Stoa ipsa deriventur. Nisi forte quis hac sententia colorem Stoicum comprobat: 3 C *δηλοῖ δὲ καὶ ἡ φύσις κ. τ. λ. . . . σοφῶς δὲ ἄρα καὶ ἡ πρόνοια διττοὺς ἐνέθηκε ταῖς γυναιξὶ τοὺς μαστούς* collatis Ciceronis verbis Tusc. disp. II 51, 128 . . *ut intellegamus . . haec omnia esse opera providae sollertisque naturae, quae multiplices fetus procreant . . iis mammarum data est multitudo.* Quod argumentum nempe in Stoicorum de providentia locorum numero erat. Quamquam ad Ps.-Plutarchi *δηλοῖ . . . ἡ φύσις* Aristotelis quoque verba De an. gen. IV 8, 776 a 16 *τῆς γὰρ τροφῆς χάριν . . ἐποίησεν ἡ φύσις* comparari possunt. Sed de hoc loco nisi una cum iis, quae sequuntur, iudicari non potest: tamen id quidem certum est Ps.-Plutarchi verbis nihil inesse, quo Stoicum fontem ipsum suspicari cogamur, neque obstare quicquam, quin coniciamus, si res per se spectatur.

Praecepta quae sequuntur (3 E—4 A vel 5 C, sed de paedagogo et magistro separatim agere statui) ita complecti possumus: cum puerorum natura facillime afficiatur et in imitatione versetur, providendum est, ut nutrices, servuli, paedagogi, quicumque circa illos sunt, quam optimis moribus ac tales sint, quales pueros fieri volumus. Eodem pertinent, quae legimus 12 D *ἀπείργειν προσήκει τοὺς παῖδας τῆς πρὸς τοὺς πονηροὺς ἀνθρώπους συνουσίας· ἀποφέρονται γάρ τι τῆς τούτων κακίας,* 13 C *ἐκδιωκτέον δ' οὐχ ἥκιστα καὶ τὰς τῶν συμφοιτητῶν μοχθηρίας,* 14 A—B, ubi ut patres filiis morum exempla sint, exigitur. Atque tales cogitationes, priusquam accuratius indagamus, quin omnium, qui de morum eruditione egerunt, aliquo modo communes fuerint, dubium esse non potest. Plato primus eas res copiose exposuit et posteros scriptores de eo omnes fere aliquatenus pendere verisimile est. Quare cuiusvis scriptoris in ea re cum Platonis sententia consensus sane non multum valet, tamen ostendendus esse videtur. Platonis loci praecipui sunt: Pol. 377 B . . *ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον, ἄλλως τε καὶ νέῳ καὶ ἁπαλῷ ὁτῳοῦν· μάλιστα γὰρ δὴ τότε πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος, ὃν ἂν*

---

[1]) Ubi Clementis Alex. sententia non erat neglegenda, quamquam ad rem nihil novi efficitur: *Παιδαγ.* I 6, 49 *αἵματος γὰρ φύσις τοῦ γάλακτος ἡ ῥύσις καὶ πηγὴ τροφῆς τὸ γάλα, ᾧ δὴ καὶ γυνὴ θήλη τεκοῦσα ἀληθῶς καὶ μήτηρ, δι' οὗ καὶ φίλτρον εὐνοίας παραλαμβάνει.* Totam rem breviter expressam hic habemus.

τις βούληται ἐνσημήνασθαι ἑκάστῳ, ibid. 378 E *ὃ ἂν τηλικοῦτος ὢν λάβῃ ἐν ταῖς δόξαις, δυσέκνιπτα καὶ ἀμετάστατα φιλεῖ γίγνεσθαι*, Leg. 671 B (in bibendo) *τὰς ψυχὰς μαλθακωτέρας γίγνεσθαι καὶ νεωτέρας, ὥστε εὐαγώγους συμβαίνειν τῷ .. ἐπισταμένῳ παιδεύειν τε καὶ πλάττειν, καθάπερ ὅτ' ἦσαν νέοι*, ibid. 681 B *ἑκάστους τὰς ἑαυτῶν ἂν αἱρέσεις εἰς τοὺς παῖδας ἀποτυπουμένους*. Quae si cum huius scriptoris argumentis conferuntur, verba vel eadem vel consimilia esse apparet: *ἁπαλὸς* utrimque, *πλάττειν* — *εὔπλαστος*, *ἐνδύεται τύπος* et *ἀποτυπουμένους* — *ἐναποτυποῦνται*. Haec vero sententia nempe tota e Platone derivanda est: 3 E *ὥσπερ γὰρ τὰ μέλη τοῦ σώματος εὐθὺς ἀπὸ γενέσεως πλάττειν τῶν τέκνων ἀναγκαῖόν ἐστιν, ἵνα ταῦτα ὀρθὰ καὶ ἀστραβῆ φύηται, τὸν αὐτὸν τρόπον ἐξ ἀρχῆς τὰ τῶν τέκνων ἤθη ῥυθμίζειν προσήκει* coll. Platonis Leg. 789 *φράζωμεν ... τὸ γενόμενον δὲ πλάττειν τε οἷον κηρινόν, ἕως ὑγρόν*, Pol. 377 C *πείσομεν τὰς τροφούς τε καὶ τὰς μητέρας .. πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσίν*. Vocabuli *ῥυθμίζειν* usus illustratur ex Phaedr. 253 B *τὰ παιδικὰ πείθοντες καὶ ῥυθμίζοντες* et respondet ea vox Platonis virtuti, quae *εὐρυθμία* est. Eandem Platonis imitationem cognoscas apud Plutarch. *Εἰ διδακτ. ἡ ἀρετή* 439 F *πρῶτον γὰρ οὗτοι* (sc. *οἱ παιδαγωγοί*) *λαμβάνοντες ἐκ γάλακτος, ὥσπερ αἱ τίτθαι ταῖς χερσὶ τὸ σῶμα πλάττουσιν, οὕτω τὸ ἦθος ῥυθμίζουσι τοῖς ἔθεσιν*. Comparatio porro animi et cerae apud Platonem non rara est: Theaet. 191 C saepiusque, Leg. 633 D, 789, item *σφραγίς* Theaet. 192 A. Quae denique de fabulis narrandis scriptor profert, ea e Platonis sententia esse ipse confitetur (Pol. 377 B sq.). Quare Ps.-Plutarchum vel eius fontem in ea re cum Platone plane consentire concludi potest. Cuius in Politeias libris curam nutricum, matrum, eorum, quibuscum infantes sunt, maximam esse omnibus notum est. Neque deinde ab aliis scriptoribus ea res neglegebatur. Aristoteles aeque ac Plato summam inde a prima aetate curam adhibendam esse censuit, cf. Pol. VII 1336 a 10 *πρὸς τὸ μὴ διαστρέφεσθαι τὰ μέλη δι' ἁπαλότητα ... τὸ σῶμα ποιεῖ τῶν τοιούτων ἀστραβές*, ib. 30 *καὶ περὶ λόγων δὲ καὶ μύθων ... ἐπιμελὲς ἔστω τοῖς ἄρχουσιν κ. τ. λ.*, ib. 39 usum malorum hominum et servorum reprehendit, ib. b 6 ... *ὅπως μήτε λέγωσι* (*οἱ νέοι*) *μήτε ἀκούωσι μηδὲν τοιοῦτον*[1]). Atque tales res sine dubio — ut iterum quod supra contendi, dicam — omnium, qui mores tractant, loci communes sunt et in vulgaribus et in philosophorum praeceptis versantur. Addere liceat complures locos. Ps.-Isocrates *πρὸς Δημόν.* 9 quam praeclarum Demonico virtutis exemplar pater sit, exponit, (11) *πρὸς ὃν δεῖ ζῆν σ' ὥσπερ πρὸς παράδειγμα*, ibid. 45 eos amicos Demonicus quaerat, qui mores corrigant melioresque faciant; Dii Pythagorei verba (Stob. Ecl.

[1]) De vi et boni et mali exempli Xenophon quoque copiose egit, cf. Cyrup. I 2, 8, VII 5, 85, Mem. I 2, 20 et Ps.-Plut. locos similes 14 B, 12 D, 13 F.

IV p. 487, 3 H.) *ἐγὼν . . . ποτιβλέπων ἅπαντα τὰ νέα φυλακῆς τε καὶ ἐπιμελείας δεόμενα . . . περὶ τὸν πρᾶτον καιρὸν τᾶς αὐξήσιος τῷ ἀκροσφαλέως ἔχεν ποτὶ σωτηρίαν ὑπέλαβον μὴ παρέργως δεῖν αὐτῶν με φυλάσσεν τὰν ἀσθένειαν,* Diogenes apud Stob. Ecl. II p. 216 W. *ἔλεγε τὴν τῶν παίδων ἀγωγὴν ἐοικέναι τοῖς τῶν κεραμέων πλάσμασιν* (cf. *ἁπαλός . . . σχηματίζουσι καὶ ῥυθμίζουσιν . . . τελείους γενομένους ἀμεταπλάστους γίνεσθαι*). Iamblichus epist. ad Sopatr., Stob ibid. 233: de Platonis Leg. 765 E initium capit: *παντὸς ζῴου καὶ φυτοῦ ἡ πρώτη βλάστη καλῶς ὁρμηθεῖσα πρὸς τὴν ἑκάστου ἀρετὴν κυριωτάτη,* deinde p. 234, 4 *ἡ ὀρθὴ παιδεία . . . σπέρματα τῶν ἀρετῶν ἤδη προκαταβαλλομένη*[1]) *καὶ ἐν ἁπαλαῖς ἔτι καὶ ἀβάτοις ψυχαῖς θαυμαστὴν οἰκείωσιν ἐμποιοῦσα πρὸς τὴν τῶν καλῶν ἐπιτήδειαν*; verbis sequentibus quanti sit omnium, qui circa infantes sunt, exemplum, exprimitur 234, 7 *πρῶτον μὲν οὖν διὰ τῶν αἰσθήσεων ἐν πατρὶ καὶ μητρὶ καὶ παιδαγωγῷ καὶ διδασκάλῳ προτείνει παράδειγμα τῶν καλῶν ἔργων,* deinde *τὰ σπουδαῖα ἤθη* solis *ἔθεσιν* fieri demonstratur, id quod supra praecipue Peripateticis vindicatum est. Quam Iamblichi epistulam Ps.-Plutarchi libello multis modis similem esse negari non potest. Nunc ad Stoicos transeamus atque id praecipue indagare conemur, num quid in ea re inter veterem ac mediam Stoam interfuerit. Quam quaestionem cum iis, quae supra de consuetudinis (*ἐθισμός*) vi exposita sunt, arte coniunctam esse consentaneum est. Chrysippum in libro de puerorum educatione conscripto eas res copiose tractavisse e Quintiliani Institutione oratoria concluditur. Qui illum laudat Inst. or. I 1, 4 . . . *nutricibus*; *quas si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit, certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit.* Idem deinde exigitur de pueris servulis (8) et paedagogis, I 2, 6—8 de malis parentum exemplis agitur: *fit ex his consuetudo, inde natura.* Quorum praeceptorum ratio exhibetur I 1, 5 *natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus animis percepimus,* sequuntur exempla (sapor ac vasa, lana et colores). Deinde I 1, 15 *melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus*; *nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam formandam quam optimis institutis mentem infantium iudicat,* I 10, 32 *et Chrysippus etiam nutricum illi, quae adhibetur infantibus adlectationi, suum quoddam carmen adsignat.* Num Chrysippi liber Quintiliani fons fuerit vel quatenus ab eo adhibitus sit, nunc non est quaerendum: ea quae attuli quaeque sola in hac quaestione valent, pro certo illi philosopho attribui possunt. Quibus ex locis sequitur Chrysippum de ea re diligentissime praecepisse atque omnium,

[1]) Item Ps.-Plut. 2 B: *γῆ, φυτουργός, σπέρματα — ἡ ψυχή, ὁ παιδεύων, αἱ τῶν λόγων ὑποθῆκαι καὶ τὰ παραγγέλματα.* Hoc quoque loco (4 C) comparatio ab agricultura petita adhibetur.

qui circa pueros suut, curam summam habuisse (Dyroffius l. l. p. 246 et passim). Eandem curam omnium Stoicorum fuisse facile demonstratu est nec multum hic refert, utrum e Chrysippi libro vel opinione ceteri pendeant necne; cf. Senecam[1]) De ira II 21, 9, quem Posidonii doctrinam hoc loco sequi supra probatum est: *pertinebit ad rem praeceptores paedagogosque pueris placidos dari. proximis adplicatur omne quod tenerum est et in eorum similitudinem crescit, nutricum et paedagogorum retulere mox in adulescentiam mores.*

De parentum moribus perversis et malorum hominum usu, a quibus infantes inde a prima aetate vitiis imbuuntur, posteris antiquitatis temporibus saepius querelae audiebantur atque in popularis quae vocatur philosophiae libris tritae erant. Stoicum colorem plerumque facile sentimus. Quintilianus scribit Inst. or. I 2, 6—8 *utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus!* invehiturque in delicias, mollem educationem, luxuriam, impudicitiam; Tacitus similia exhibet Dial. de or. 28: pueri pristinis temporibus educabantur ab hominibus *probatis spectatisque moribus; coram qua (sc. subole) neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur*, ib. 29: *at nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur . . . ex . . . servis plerumque vilissimus . . . horum fabulis et erroribus virides statim et teneri animi imbuuntur . . . quin etiam ipsi parentes . . . adsuefaciunt lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudentia inrepit.* Nec minus acriter Iuvenalis patrum exempla mala vituperat; tota satira 14 in ea re versatur, conferantur v. 32 *vitiorum exempla domestica*, v. 39 *quoniam dociles imitandis turpibus ac pravis omnes sumus*, v. 47 *maxima debetur puero reverentia.* Sequentes versus perspicuum cum Ps.-Plutarcho consensum praebent: 54 *corripies nimirum et castigabis acerbo | clamore . . . unde tibi frontem libertatemque parentis, | cum facias peiora senex?* et Ps.-Plut. 14 A *ὡς οἵτινες τοῖς ἁμαρτάνουσιν υἱοῖς ἐπιτιμῶντες τοῖς αὐτοῖς ἁμαρτήμασι περιπίπτουσιν, ἐπὶ τῷ ἐκείνων ὀνόματι λανθάνουσιν ἑαυτῶν κατήγοροι γιγνόμενοι, τὸ δ' ὅλον φαύλως ζῶντες οὐδὲ τοῖς δούλοις παρρησίαν ἄγουσιν ἐπιτιμᾶν, μή τί γε τοῖς υἱοῖς*[2]). Quibus exemplis satis probatum esse puto apud omnium temporum Stoicos illam curam, de qua quaestio est, valuisse. Tamen non difficile est comprobare de hac re inter veterem ac mediam Stoam interfuisse, in vitiorum origine iudicanda dico. Quae erat Chrysippi psychologia, qui

---

[1]) Idem saepissime de exemplorum vi atque hominum usu aut pernicioso aut profuturo agit, cf. e. g. Ep. 6, 5; 83, 13; 11, 8—10; 123, 6, al.

[2]) cf. praeterea Iuven. 14, 10 sq., Quintil. Inst. or. I 2, 8, Plut. div. cup. c. 7, De aud. poet. 36 D (. . . *ὧν ἤκουε τῆς μητρὸς ἀεὶ καὶ τίτθης καὶ νὴ Δία τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ παιδαγωγοῦ* . . .).

omnes affectus animique perturbationes e falsis opinionibus nasci censeret, vitiorum ac malorum causas has fuisse consentaneum est: Galen. de Hipp. et Pl. d. p. 459 K. *τὴν κατήχησιν τῶν πολλῶν ἀνθρώπων καὶ τὴν πιθανότητα τῶν φαντασιῶν.* Hominis naturae nihil mali innatum est, omnes natura boni adque virtutem proni sumus (*ἡμᾶς οἰκειοῦσθαι πρὸς μόνον τὸ καλόν*). Cui sententiae Posidonium, qui in psychologia veterem doctrinam refutaret, obstitisse testatur Galen. *π. τ. τ. ψυχ. ἠθ.* p. 820 K. *καὶ γὰρ καὶ τῆς κακίας ἐν ἡμῖν αὐτοῖς σπέρμα, καὶ δεόμεθα πάντες οὐχ οὕτως τοῦ φεύγειν τοὺς πονηροὺς ὡς τοῦ διώκειν τοὺς καθαρίσοντάς τε καὶ κωλύσοντας ἡμῶν τὴν αὔξησιν τῆς κακίας.* Secundum Posidonii igitur sententiam hominis natura maculosa ac vitiosa correctione et recta consuetudine eget, Chrysippi nihil aliud opus est, quam ut falsa de rebus iudicia a pueris removeantur. Galenus l. l. ipse contra Stoicos pugnat, qui *ἅπαντας ἀνθρώπους εἰς ἀρετῆς κτῆσιν ἐπιτηδείως ἔχειν οἴονται, διαστρέφεσθαι ⟨δ'⟩ ὑπὸ τῶν συζώντων* et sine dubio Posidonium, quem laudat saepius, secutus negat liberos *διαστρέφεσθαι ὑπὸ τῶν γονέων τε καὶ παιδαγωγῶν καὶ διδασκάλων.* Tamen eius quoque opinione, qui naturam hominis corruptam et ad vitia proclivem putat, exempla et mala et bona maximi in educando momenti esse consentaneum est. Ita a Posidonio exemplorum vim minime neglectam esse e verbis eius supra collatis apparet. Secundum quem Seneca De ir. II 21, 10 de puero narravit, qui apud Platonem bene instructus cum patris iracundiam vidisset, *numquam,* inquit, *hoc apud Platonem vidi; non dubito,* pergit Seneca, *quin citius patrem imitatus sit quam Platonem.* Apud Senecam vero quam saepe hominis naturam vitiosam esse confirmetur, demonstrare opus non est (cf. e. g. De ir. II 18; Ep. 90, 44; 94, 30; 11, 1 etc.); idem saepissime de perniciosa in moribus vi multitudinis omniumque, qui circa nos sunt, quod falsas opiniones nobis inculcant, queritur[1]). Non aliter Iuvenalis vitia ex imitatione fieri declarat (v. supra), sed cum eo, ut confirmet s. 14, 40 *dociles imitandis turpibus ac pravis omnes sumus,* et Quintilianus ita censet: Inst. or. I 1, 5 *et haec ipsa magis pertinaciter haerent, quae deteriora sunt: quando in bonum verteris vitia?* Iam quid demonstrare velim, satis apparet: si hic bonos homines exigit, ne mala extrinsecus in puerorum animos veniant, ille, ne quae natura mala insunt, crescant, sed in rectum vertantur, idem fere revera efficitur. Quare in educandi praeceptis hoc quidem loco differentiam magnam exspectare non possumus, dummodo non argumenta demonstrentur, sed praecepta nuda proferantur.

---

[1]) Ut Ep. 7, 6; 8, 3; 29, 41; 10, 1; 93, 52: *nonne apparet opus esse nobis aliquando advocato, qui contra populi praecepta praecipiat?*

Ut tandem ad Ps.-Plutarchum revertamur: ex eo, quod pueris optimos homines comites exigit, etsi nihil pro certo concludi potest, tamen eum Stoicorum opinionem proferre verisimillimum esse videtur, quippe qui eam rem ante omnes permagni fecerint, atque adeo nihil obstat, quominus id praeceptum ad Chrysippum ipsum revocemus. Sed accuratius quae scriptor praecipiat, examinemus. Postulat, ut nutrices eligamus *οὐ τὰς τυχούσας, ἀλλ' ὡς ἔνι μάλιστα σπουδαίας . . . πρῶτον μὲν τοῖς ἤθεσιν Ἑλληνίδας, τὰ παιδία* deinde sint *πρώτιστα μὲν σπουδαῖα τοὺς τρόπους, ἔτι μέντοι Ἑλληνικὰ καὶ περίτρανα λαλεῖν* neve *βάρβαρα καὶ τὸ ἦθος μοχθηρά,* in paedagogis denique monet, ne pueros tradamus *ἀνδραπόδοις ἢ βαρβάροις ἢ παλιμβόλοις.* Quibus in verbis duae res animadvertendae sunt: unum est, quod scriptoris sententia *βάρβαρος* et *μοχθηρός, Ἑλληνικὸς τοῖς ἤθεσιν* et *σπουδαῖος* artissime inter se cohaerent, alterum, quod dicendi facultas iam prima aetate curatur, cum verba *περίτρανα λαλεῖν* ad recte dicendi usum spectent. Quaerendum esse videtur, quid hoc loco vox *βάρβαρος* sonet. Cuius vocabuli usum[1]) ea aetate, quam nos „hellenistische Zeit" appellare solemus, mutatum esse constat: inde ex illo tempore non secundum nascendi condicionem homines discribebantur, sed in animi cultu discrimen erat. Quo factum est, ut *βάρβαρος* sonaret „incultus, rudis, stultus". Quem sensum Eratosthenes Stoicus explicat apud Strabonem I 66, ubi improbat, si qui homines in Graecos et barbaros dividunt et Alexandro suaserunt *τοῖς μὲν Ἕλλησιν ὡς φίλοις χρῆσθαι, τοῖς δὲ βαρβάροις ὡς πολεμίοις*; ipse *βέλτιον εἶναί φησιν ἀρετῇ καὶ κακίᾳ διαιρεῖν ταῦτα. πολλοὺς γὰρ καὶ τῶν Ἑλλήνων εἶναι κακοὺς καὶ τῶν βαρβάρων ἀστείους.* Eratosthenem his verbis Aristotelem reprehendisse constat, qui Alexandro ita suasisse dicitur (Plut. De Alex. fort. aut v. I 6, Aristot. fr. p. 60 Heitz). Videmus igitur inter Aristotelem et posteros in eius verbi sensu interfuisse, id quod nonnullis eius locis probatur, quibus eum barbaros ut serviles et inferiores contempsisse apparet (ut Pol. III 1285 a 20 *οἱ βάρβαροι δουλικώτεροι τὰ ἤθη φύσει τῶν Ἑλλήνων*). Quo in iudicio vulgarem Graecorum pristinae aetatis opinionem secutus est (ibid. 1252 b 9 1255 a 29, Eth. Nic. 1145 a 30). Duas igitur eius verbi significationes esse sequitur: aut barbarus i. e. extraneus, aut ineruditus, agrestis est. Ps.-Plutarchus, qui *βάρβαρος* et *Ἑλληνικός* opponit, priore sensu nempe utitur; nam si solos mores significare vult, cur adiciat *τοῖς ἤθεσιν Ἑλληνίδας*, ubi iam scripsit *μάλιστα σπουδαίας*? Quae verba aliud quoddam sibi velle oportet, cum addantur tamquam aliquid novi *(πρῶτον μὲν . . .)*; ne eruditionem quidem exprimere possunt, quia *τοῖς ἤθεσιν* inseritur.

---

[1]) Cf. Ruge in Pauly-Wissowae Encycl. reali II 2, 2858.

Item postea scriptor ad *σπουδαῖα τοὺς τρόπους* adicit *ἔτι μέντοι Ἑλληνικά.* At enim et huius scriptoris sententia *βάρβαρος* et abiectus idem valere videntur: sed non, qui malus atque incultus, *βάρβαρος* est, sed, qui *βάρβαρος*, abiectus. Concludere licet eum Aristotelis more id vocabulum usurpare. Si deinde, quae fuerit aliorum philosophorum de ea re sententia, quaerimus, perspicuum esse videtur alteram significationem, quae moribus et eruditione definitur, Cynicae et Stoicae philosophiae maxime respondere, quorum sententia nihil inter homines intersit, sed omnes aequo modo solis e moribus iudicentur. Quare Ps.-Plutarchi praeceptum hoc quidem loco ad veterem Stoam minime quadrat, sed vel Aristotelicis vel eorum, qui aut illum aut communes notiones pristinae aetatis secuti sunt, opinionibus similius est. Quocum consentit scriptoris de servorum condicione iudicium; nam cum 4 A coniungat verba *ἀνδραπόδοις ἢ βαρβάροις ἢ παλιμβόλοις,* eum servos ac barbaros aequi aestimare sequitur. Non enim ne pueri cum malis servis conversentur, sed ut omnino a servis cohibeantur, hoc quidem loco monet. Simillimum Aristotelis praeceptum est Pol. 1336 a 40 *ὅπως ὅτι ἥκιστα μετὰ δούλων ἔσται (τὰ παιδία) . . . . εὔλογον οὖν ἀπολαβεῖν ἀπὸ τῶν ἀκουσμάτων καὶ τῶν ὁραμάτων ἀνελευθερίαν καὶ τοιούτους.* — In altero praecepto, quod ad dicendi usum spectat, Quintilianus praecipue comparandus est, qui plus uno loco recte dicendi consuetudinem in omnibus, qui circa pueros sunt, exigit, quin etiam totam fere educationem ei praecepto quasi subicit, quippe qui oratorem optimum futurum instituat. Praecipit Inst. or. I 1, 4 de nutricibus *ante omnia ne sit vitiosus sermo*, ibid. 6 de parentibus, 8 de servulis. Quem in hoc praecepto de Chrysippo, quem I 1, 4 laudat, non pendere facile probatu est, immo Chrysippum eiusmodi praeceptum non exhibuisse apparet. Nam Quintilianus I 1, 4, postquam illius philosophi de nutricum moribus verba laudavit, pergit *et morum quidem in his haud dubie prior ratio est, recte tamen etiam loquantur.* Praeterea tale praeceptum ab illius philosophi animo alienum videtur, qui virtutem ac sapientiam aut solam aut ante omnia spectet[1]). De Quintiliani fontibus nunc quaerendum non est: id tamen certum esse videtur, praecepta, quae ad eloquentiam pertinent, veteri Stoae attribuenda non esse. Sed item concedere oportet Ps.-Plutarchi verba sine ulla comprobatione effusa atque rem magis subumbrantia quam explicantia

---

[1]) Stoici enim, quamquam arti rhetoricae semper studebant (cf. v. Arnim, Leben u. W. d. Dio v. Pr. p. 77—80), aut in mera artis doctrina inutili versabantur aut dicendi artem „sapientis“ hominis solius officium depingebant. Quod utrumque apud Ps.-Plutarchum frustra quaesiveris, cuius praecepta dicendi exercitationi excolendae et dictionis perfectioni serviunt.

cum Quintiliani praeceptis magnis largeque comprobatis non recte comparari. — Restat locus dignus, qui accuratius examinetur, 3 F *καθάπερ γὰρ σφραγῖδες τοῖς ἁπαλοῖς ἐναπομάττονται κηροῖς, οὕτως αἱ μαθήσεις ταῖς τῶν ἔτι παιδίων ψυχαῖς ἐναποτυποῦνται.* Quae verba Dyroffius (p. 263) appellat „stoisches Gut" collatis Diogenis Laert. verbis VII 50 *νοεῖται δὲ ἡ φαντασία ἡ ἀπὸ ὑπάρχοντος κατὰ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναποτετυπωμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη*; idem praeterea (p. 263 adn. 1) Diogenis verbis a Stobaeo traditis (v. s.) comprobare ille studet. Sed ex illo ipso loco sequi mihi quidem videtur eam animi puerilis et cerae comparationem paulo vulgariorem fuisse, cum iam a Platone usurpata, ut supra vidimus, deinde profecto facillima et consentanea sit. Praeterea illa Diogenis verba solam ad Stoicorum de cognoscendo doctrinam pertinent atque in ea ipsa re Chrysippus censuit *οὐ . . . δεκτέον τὴν τύπωσιν οἱονεὶ τύπον σφραγιστῆρος.* Quae differentia sane hic non multum potest: at non minus probabile est hanc Ps.-Plutarchi imaginem ab illa Stoicorum doctrina derivari non oportere. Quare concludimus eam imaginem Stoicam esse posse, sed vulgariori comparationi respondere verisimilius esse. Ut tandem, quae adhuc effecta sint, complectar: illam omnium eorum, quibuscum pueri sunt, curam diligentem praecipue Stoicorum fuisse apparet eamque ante omnes a Chrysippo maxime adhibitam esse. Quae autem alia postulantur, a vetere Stoa aliena sunt atque aut Aristotelis colorem praebent aut opinionibus vulgaribus consimilia sunt. Quare si, id quod verisimile videtur, Stoica supponuntur, in ea tempora descendendum est, quibus Stoica doctrina alienis cogitationibus permiscebatur.

Atque hic locus esse videtur, quae Schickius libro iam saepius a me laudato, qui „Favorin *περὶ παίδων τροφῆς* und die antike Erziehungslehre" inscribitur, investigavit, ea addere et de eius argumentis quid sentiam definire. Cuius viri docti opus cum in manus mihi inciderit tum, cum opusculum meum iam paene confectum erat, neque quae exposueram, commutare, neque quae uterque invenimus, eicere oportere censui[1]): quod si nimis libere atque neglegenter feci, veniam rogo. Schickius locum, quo de nutrice agitur, praeter cetera tractat cogitationumque eius summa haec est. Ps.-Plutarchi praeceptorum, quae ad nutrices omniumque, qui in educatione versantur, mores pertinent, fons Chrysippi liber est. Cum autem, ut iis rebus, quas proferunt Favorinus et Soranus, probatur, ea praecepta communiora fuerint eaque ex parte medicae artis argumentis nisa, praeterea nonnulla inveniantur, quae cum Sorano nonnumquam congruentia in Peripateticos, imprimis Ari-

[1]) Idem de nonnullis aliis locis valet, praecipue de eis rebus, quas Schickius p. 40 summatim adnotavit.

stoxenum referenda sint, Chrysippum in tota re tractanda priores philosophos i. e. Peripateticos plane secutum esse concludi oportere; quos ipsos vulgariores opiniones recepisse atque medicorum ratione usos esse, Chrysippum autem rem tantummodo quatenus morum educatio tangatur, tractasse. Quibus verbis nemo est, quin plane assentiatur, si id unum certum est Ps.-Plutarchi fontem Chrysippum fuisse — id quod nos investigamus. Quod si nunc paulum praetermittimus, ille vir doctus multis locis probare studet, quod de rebus quibusdam supra conieci, Ps.-Plutarchi verba non minima ex parte cum iis opinionibus congruere, quas iure in Peripatum revocare possumus (cf. Sch. p. 29 sq.). Idem rectissime, ut mihi quidem videtur, Neo-Pythagoreorum opiniones similes comparat; liceat mihi quoque Myiae Pythagoricae epistulam (Ep. Gr. p. 601 ep. 12, Herch.) afferre, ut quanta sit similitudo, intellegatur: *τίτθαν ἐκλέξασθαι τὰν ἐπιταδειοτάταν καὶ καθάριον . . αἰδήμονα κ. τ. λ. . . μεγάλα γὰρ μερὶς . . εἰς ὅλαν τὰν βιοτὰν πέλει ἐν τᾷ τρεφοίσᾳ . . ἔστω δὲ μήτ᾽ ὀργίλα*[1]) *τιτθάνα μήτε πρόγλωσσος . . ἀλλὰ τεταγμένα καὶ σώφρων. δυνατὸν δ᾽ ὂν μὴ βάρβαρος, ἀλλὰ Ἑλληνίς.* Item Sorani praeceptum l. l, p. 264, 12 *Ἑλληνίδα δέ, χάριν τοῦ τῇ καλλίστῃ διαλέκτῳ ἐθισθῆναι τὸ τρεφόμενον ὑπ᾽ αὐτῆς* miro modo Ps.-Plutarchi opinioni simile est, qui in nutricibus certo non minus, quam in servulis (cf. *Ἑλληνικὰ καὶ περίτρανα λαλεῖν*) rectum sermonem respiciat. Ps.-Plutarchum igitur nonnulla exhibere, quae Peripateticorum opinionibus optime respondeant, negari iam non potest. Quos ipsos magna ex parte notiones vulgares recepisse atque vice versa eorum doctrinam posteris temporibus ubique pervulgatam fuisse Schickius recte adnotavit (p. 24 adn. 43. fin. „Wir müssen doch überhaupt die Kenntnis des Erziehungstopos als sehr allgemein verbreitet — bei Popularphilosophen, Sophisten, Rhetoren, Ärzten, den Gebildeten überhaupt — voraussetzen“). Num igitur ulla re adducimur, ut Chrysippi librum fontem habeamus in rebus, quae tam communes sint ac tantopere colorem Peripateticum exhibere videantur? Quodsi Schickius apud Ps.-Plutarchum argumenta physica, quae de nutricis lacte sunt, deesse totamque rem magis e moribus tractari profert ideoque Chrysippum quoque ita egisse censet, ex Myiae epistula concludi licet illam argumentandi rationem facile deesse, ubi praecepta breviter exponuntur. Praeterea morum et educationis ipsius quaestionem — quam Schickius non tractavit — cum nutricis et paedagogorum electione quam maxime coniunctam ideoque non minus vulgarem fuisse per se patet. Itaque Chrysippus quoque sine dubio multa praebuit, quae eius

[1]) cf. Soran. *π. γυν. παθ.* c. 32, p. 264, 1 Rose *ἀόργιστον κ. τ. λ.* Non alienum est Senecam (i. e. Posidonium) comparare De ir. II 21, 9 *pertinebit ad rem praeceptores paedagogosque . . placidos dari.*

ceterorumque vel priorum vel posterorum temporum educandi praeceptorum communia essent, ita ut, quae solus ac propria exhibuerit, iudicare difficillimum sit. Quae cum ita sint, ex re mihi quidem esse videtur Chrysippum simili modo ac Ps.-Plutarchum fortasse eam rem tractavisse concedere; hunc autem aut ex Peripati alteriusve philosophiae finitimae doctrina aut ex vulgarioribus educandi notionibus, quas quidem posteris temporibus late vagatas esse verisimile est, hausisse censeo. Quare ex Ps.-Plutarchi sententiis de Chrysippo quicquam certi concludere minime licet. Nam etiamsi, id quod probabile est, argumenta eius, quae ad mores et animi praestantiam eorum, quibuscum pueri conversantur, attinent, magna ex parte Stoicorum i. e. Chrysippi doctrinae attribuenda sunt, tamen idem non de omnibus rebus valet neque unde habeat scriptor, quae habet Stoica, pro certo definiri potest. Chrysippum denique in ea re, quod est totius educationis caput, totum fere de Peripateticis pependisse, ut Schickii sententia censere cogimur, meo quidem iudicio verisimile non est, quoniam eum, qui in moribus tam propriam atque suam doctrinam praebeat et permultis Peripati opinionibus ceteroquin vehementer obsistat, eundem sua saltem argumenta, etiamsi aliorum praecepta sequatur, proferre probabile est. Ut tandem hanc quaestionem absolvam: Ps.-Plutarchus Peripati et Stoae opiniones permixtas exhibere videtur et ad Chryssipi librum eiusque praecepta cognoscenda ansam non praebet.

Caput 5. De paedagogo et de magistro.

In paedagogo idem valet, quod antecedenti capite expositum est: quam optimis moribus sit. At patres servos eosque nequissimos puerorum paedagogos instituere solent (4 B). Quod opprobrium alias quoque legimus, ut apud Xenoph. Laced. pol. 2, 2: Lycurgus *παιδονόμον* omnibus instituit *ἀντὶ τοῦ ἰδίᾳ ἕκαστον παιδαγωγοὺς δούλους ἐφιστάναι*, Tacitum Dial. d. or. 29 . . . *ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio adcommodatus*, Favorinum[1]) apud Gellium N. A. XII 1, 17. Miro autem modo consentiunt Hieronymi Peripatetici verba a Stobaeo Ecl. II p. 233, 1 W. tradita . . . *οἱ πατέρες . . . οἵτινες πρῶτον μὲν βαρβάροις παραβαλόντες ⟨τοὺς παῖδας⟩ παιδαγωγοῖς καὶ τούτων ἀκούειν κελεύσαντες ἱκανῶς ἐπιμελεῖσθαι νομίζουσιν . . . διὸ καὶ τὸν ἐκ τῶν ἐργατῶν ἀποδοκιμασθέντα*

[1]) Quare Schickium recte iudicare crediderim, cum censet p. 10 adn. 15: „Es ist . . . wahrscheinlich, daß die Invektive gegen die schlechten Erzieher erst in der Kaiserzeit so aufgebauscht und zu einem Gemeinplatz wurde usw.“ Quae res fortasse ad Ps.-Plutarchi aetatem definiendam valet, quamquam satis ambigua est.

τοῦτον ἐπὶ παιδαγωγίᾳ κατατάττουσι, τὰ φύσει τιμιώτατα τοῖς εὐτελεστάτοις διδόντες. Cogitationes plane congruunt: Ps.-Plutarchus quoque paulo post (4 E) patres incusat, quod cuilibet rei plus curae atque impensae adhibent, quam liberorum rectae eruditioni. Hanc rem, quae cum iis, quae superiore capite tractata sunt, artissime cohaeret, non minus late viguisse verisimile est. Nihil certius igitur de hoc loco contendi potest, nisi forte quis Hieronymi imitationem suspicatur. — Socratis verba, quae adferuntur 4 E, apud scriptores usitatissima erant (v. Wyttenbach. *Animadv.*). Consimilis locus exstat in Ocelli Lucani Pythagorici libro (Fr. ph. Gr. Mull. v. I p. 388) § 14, ubi rerum conexus idem est atque hic. Item parentum avaritia et nimia in magistro instituendo parsimonia saepius reprehenditur. In Theophrasti libello, qui inscribitur *Χαρακτῆρες*, in *μεμψιμοιρία* tractanda (XVII) is depingitur, qui (7) filium natum aegre fert, quod in eruditione magnam pecuniam impensurus est; ibid. XXX *αἰσχροκέρδεια* in eo quoque est (14), qui de pecunia, quae magistro debetur, si feriae interveniunt, demere vult. Conferantur praeterea M. Terentius Varro, Catus de lib. educ. fr. II Riese *ex quo perspicuum est maiorem curam habere nos marsuppii quam vitae nostrae*, Iuvenalis sat. 7 v. 187 *res nulla minoris constabit patri, quam filius*, Lucianus de merc. cond. 19. Atque quae fuerit philosophorum[1]) de mercede accipienda sententia, hic disserendum non est neque sane quid senserint, ullius momenti est, quod revera omnes accipiebant. Hic quidem scriptor id valde agit, ut patribus persuadeat curam eruditionis necessariam esse, eam scilicet, quae in magistro liberaliter remunerando est. Quod aut eius proprium aut cuiuslibet auctoris esse potest. Si igitur ex Ps.-Plutarchi verbis aliquid concludi potest: scriptoris maxime interesse videtur magistros liberaliter ac munifice tractari, quod ipse magister est.

Reliquum est, ut de iis rebus quaeramus, quae in paedagogo et in magistro exiguntur: 4 B *δεῖ δὲ τὸν σπουδαῖον παιδαγωγὸν τοιοῦτον εἶναι τὴν φύσιν, οἷόσπερ ἦν ὁ Φοῖνιξ ὁ τοῦ Ἀχιλλέως παιδαγωγός.* Iure Wyttenbachius ea verba intellegi non posse censuit; scriptor enim, qualis fuerit Phoenix, non explanat. Quae obscura significatio explicari non potest, nisi scriptorem aut auctoris sui argumentum praecidisse aut praeceptum alicunde petitum temere inseruisse putamus. Si quae de Phoenicis arte educandi traduntur, comparamus (Hom. Il. IX 438 *μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων*, Cicero, De or. III 15 *iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut ille Ph.*, Quintilian. Inst. or. II 3, 12 *tam eloquentia quam moribus praestantissimus, qui . . . .*

---

[1]) de Stoicis v. Dyroffium p. 310.

dicere ac facere doceat, id. II 17, 8), illum in argumentis rhetoricis versatum esse apparet: institutionis oratoriae exemplar magnum est, qui et mores instruxerit et eloquentiam docuerit. Sed qua re nisus Dyroffius p. 291 confirmet „Die Aufstellung des Phönix als eines Musterpädagogen hat aber eine Spitze gegen Platon, welcher jenen unter Beziehung auf dessen Worte Homer I 513 ff. getadelt hatte (Pol. 390 E). Es stand der Stoa . . . wohl an, an Phönix festzuhalten usw.“, nescio. Nam Plato l. l. (*οὐδὲ τὸν τοῦ Ἀχιλλέως παιδαγωγὸν Φοίνικα ἐπαινετέον, ὡς κ. τ. λ.*) non Phoenicem sed Homerum reprehendit neque quicquam de illius moribus neque de arte educandi iudicat. Stoici igitur non habebant, cur contra Platonis opinionem illum optimum paedagogum defenderent. Ex Quintiliani autem loco non sequitur Phoenicem a veteribus Stoicis morum optimorum exemplar habitum esse[1]). Ubicumque de eius educandi ratione legimus, id laudatur, quod Achillem et moribus et eloquentia instruxit, quod praeter morum perfectionem etiam dicendi potestatem necessariam esse non ignoravit[2]). Quare ut negari non potest Phoenicem fortasse a Stoicis quoque educatoris exemplar habitum esse[3]), ita perspicuum est illum vulgo optimum praeceptorem fuisse, imprimis autem ab artis rhetoricae sectatoribus magni factum esse. Ps.-Plutarchum igitur iterum dicendi rectum usum respicere crediderim. — In magistris deinde scriptor postulat, ut quam optimis moribus sint, ut docendi peritissimi (*ταῖς ἐμπειρίαις ἄριστοι*). Quae praecepta tota fere ad res supra tractatas pertinent[4]). Comparari possunt, quae saepius a philosophis postulantur, ut vita cum doctrina, facta cum verbis congruant.[5]) Quod sane minus ad magistrum, de quo hic agitur, quam ad philosophiae doctores pertinet; tamen ex eadem cura hoc quoque praeceptum ortum est, quo morum non minus quam doctrinae in magistro

---

[1]) Accedit sane, id quod Dyroffius omisit, Phoenicis figura poetica (v. Valckenaer, Diatribe in Euripidis perd. fab. rel. p. 262 sq). Euripides Phoenicem contra Homerum, qui eum nonnulla peccavisse narrat, incolumem ac purum (*ἄπταιστον* Eustath. in Il. I p. 667, 35) finxit; optimis igitur moribus eum descripsit, sicut Ennius illum secutus (v. Gell. N. A VII 17). Licet Euripidis Phoenix homo praestans ac virtutis plenus fuerit, tamen ea res ad eius artem educandi nihil attinet.

[2]) Apud Xenophontem quoque Symp. 8, 23 nihil aliud laudatur quam: *ὁ μὲν γὰρ παιδεύων λέγειν τε ἃ δεῖ καὶ πράττειν κ. τ. λ.*

[3]) Sed non est praetermittendum Clementis Al. iudicium, qui Phoenicem vituperat: *γυναικομανής . . . ἦν.* Quae sententia, quamquam nihil certi concludi potest, Stoicam fortasse rigorositatem sapit.

[4]) Quintil. de paedagogo praec. I 1, 10; 2, 5; II 3, 12.

[5]) cf. Cic. Tusc. disp. II 4, 11, Senec. Ep. 88, 89; 103, 23; 52, 8, Quintil. Inst. Or. I pr. 15; quibus exemplis eam rem imprimis Romanis temporibus tractatam esse probatur.

ratio habetur. Ceterum satis sit Quintilianum comparare Inst. or. I 1, 8 *de paedagogis hoc amplius* (praeter mores optimos), *ut aut sint eruditi plane, quam primam curam esse velim, aut se non esse eruditos sciant.*

Caput 6. Bonorum comparatio et eruditionis laus.

Praeter cetera hominum bona *παιδεία* longe praestantissima est, solum bonum non obnoxium fortunae, aeternum, divinum est, numquam amitti eripive potest (5 C—6 A). Confirmare iam non opus est pleraque, quae in hoc capite leguntur, quam maxime vulgaria fuisse neque solum in philosophorum scriptis tractata, sed in omnibus disputationibus ac declamationibus trita esse. Atque duo loci communes insunt: comparatio bonorum, quacum, ut hic, locus de varietate fortunae coniungebatur, et laudatio eruditionis vel sapientiae vel philosophiae. Quae res optime Ps.-Isocratis exemplo illustratur, *Πρὸς Δημόν.* 6 sq.: *ἀρετή, ἧς οὐδὲν κτῆμα σεμνότερον οὐδὲ βεβαιότερόν ἐστι,* anteponitur ceteris rebus, quae sunt *κάλλος, πλοῦτος, ῥώμη.* Singula bona magna ex parte similiter repudiantur: *κάλλος . . . ἢ χρόνος ἀνήλωσεν ἢ νόσος ἐμάρανε* — Ps.-Plut. *ὀλιγοχρόνιον* et de *ὑγιείᾳ*: *εὐμετάστατον,* deinde *πλοῦτος κακίας μᾶλλον ἢ καλοκαγαθίας ὑπηρέτης ἐστίν* — Ps.-Plut. *καὶ τοῖς πονηροτάτοις μέτεστιν,* in virtute utrimque: *μόνη συγγηράσκει.* Similis locus exstat ibid. 42 *νόμιζε μηδὲν εἶναι τῶν ἀνθρωπίνων βέβαιον,* et sapientiae laus 18 *σοφία γὰρ μόνον τῶν κτημάτων ἀθάνατον.* Locum de fortunae varietate commemorat Seneca controv. I 8, 16 (cf. Norden, Antike Kunstpr. I 276); hic cum in aliis bonis, tum in divitiis aestimandis adhibetur. Quae de eadem re apud philosophos aliosque scriptores inveniuntur, partim congruentia, partim alia sunt; quae conferri possunt, breviter enarro, omissis iis nunc locis, qui iudicium philosophiae cuiuslibet proprium continent: Xenoph. Ages. XI, 14 . . . *ἡ δὲ τῆς ψυχῆς ῥώμη . . . ἀγήρατός ἐστιν,* id. Apol. Socr. *παιδεία . . . μέγιστον ἀγαθόν*; Plato, Phaedr. 241 C, (Theag. 122 D); Theophrastus fr. 78 (v. III Wimmer) *τυφλὸς ὁ πλοῦτός ἐστιν . . . καὶ ἄζηλος ἀληθῶς*; Cebetis tabula c. 18: *Παιδεία* ceteris bonis anteponitur; Vitruv. De arch. VI pro. 2 *namque ea vera praesidia sunt vitae, quibus neque fortunae tempestas neque publicarum rerum mutatio neque belli vastatio potest nocere* (cf. Stilponis exemplum apud Ps.-Plut.), laudatur deinde Theophrasti dictum, quo *doctos potius esse quam confidentes pecuniae* homines voluit; Iamblich. Protrept. c. 8, 52 A omnia bona sunt *σκιαγραφία, μηδὲν βέβαιον,* i. e. *ἰσχύς, μέγεθος, κάλλος, τιμαί, δόξαι: τί μακρόν, τί πολυχρόνιον τῶν ἀνθρωπίνων*; *νοῦς* solus est *ἀθάνατον καὶ θεῖον*; Galenus, Protrept. c. 2, *τύχη . . . ἄνους . . . ὡς πλουτίζειν τοὺς ἀναξίους οὐδὲ τούτους βεβαίως*; Seneca Ep. 15, 5 . . .

id bonum cura, quod vetustate fit melius; laudationes παιδείας exstant apud Stobaeum Ecl. II 31, Aristotelis (30, 35, 47), Antisthenis (33), Socratis (44), Platonis (80), aliorum (39, 92). Facile est plura adferre, sed satis sit demonstravisse eam rem imprimis in protreptici generis scriptis[1]) pervulgatam fuisse. Et bonorum illa aestimatio etiam eorum philosophorum sine dubio est, qui ut Peripatetici externa vere „bona“ esse censent: ubique scilicet animi cultus ac virtus summum bonum putatur. Tamen eiusmodi iudicium praecipue in Stoicos deducere nos videtur; quare quatenus Ps.-Plutarchus cum eis congruat, videamus. Bonorum aestimationem vere Stoicam, ut mihi quidem videtur, praebet Seneca Ep. 76, ubi virtutem i. e. rationem perfectam bonum hominis proprium esse comprobat: 8 *omnia suo bono constant . . . in homine optimum ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur. ratio ergo perfecta proprium bonum est, cetera illi cum animalibus satisque communia sunt. valet: et leones. formonsus est: et pavones. velox est: et equi . . . corpus habet: et arbores etc.* Ex quo loco verisimile est argumenta de bestiarum comparatione sumpta praecipue Stoica esse[2]). Non rara sunt, ut apud Boethium, De consol. phil. III 8, 13 (post reliqua bona de corpore): *iam vero qui bona prae se corporis ferunt, quam exigua, quam fragili possessione utuntur! num enim elephantos mole, tauros robore superare poteritis, num tigres velocitate praeibitis?* vel Eusebium ap. Stob. Ecl. IV, p. 345, 13 H. ἄνθρωποι ἰσχὺν καὶ ῥώμην καὶ τάχος μοῦνα ἀσκέοντες ἀγνοεῦσι, τούτων μὲν ὁκόσα κοινὰ πρὸς θηρία ἔχουσι καὶ τῶν πολλῶν ἀσθενέστερα κ. τ. λ. Consimilia sunt, quae Ps.-Plut. 5 E contra ἰσχύν declamat: cf. Boeth. l. l. *elephantos, tauros, tigres* — Ps.-Plut. ἐλεφάντων καὶ ταύρων καὶ λεόντων. Sed ex iisdem his locis apparet haec argumenta eius potius loci communis esse, qui est contra ἰσχύν, nimium corporis cultum (Stobaeus, Ecl. IV c. 12 ψόγος τόλμης στρατείας καὶ ἰσχύος). Id quod contra divitias adfertur, ὅτι καὶ τοῖς πονηροτάτοις μέτεστιν (ὁ πλοῦτος), inter Stoicorum[3]) argumenta fuisse intellegimus e Senecae ep. 87, 15 *quod contemptissimo cuique contingere ac turpissimo potest, bonum non est. opes . . . ergo non sunt bona.* Tamen cum accuratius Ps.-Plutarchi verba perscrutamur, ea vere Stoica non esse verisimillimum fit. Nam ubi omnino scriptor quid de bonis iudicandum

---

[1]) v. Gerhäußer, Der Protreptikos des Posidonios, p. 38, qui comparat Iamblich. Protr. p. 47, 28, 90 Pist., Cic. Hortens. 87, 76, 79, Galen. Protrept. VIII p. 7 K.; VIII p. 9 etc., Boeth. Cons. phil. III 2, 4, 6, 8, alia.

[2]) Ceterum cf. Dickermann, De argumentis quibusdam apud Xenoph., Platonem Aristot. obviis e structura hominis et animalium petitis (Diss. Hall. 1909).

[3]) cf. etiam Philon. De poster. Caini 159, praeterea Diog. Laert. VII 102, Plut. De Stoic. rep. 1048 c, Sen. Ep. 120, 3, Quint. Inst. or. V 14, 25 al.

sit, exponit, immo ubi, utrum ea, quae enumerat, „bona“ sint necne, diiudicat? Initio declarat *τὰ μὲν ἄλλα τῶν ἀγαθῶν ἀνθρώπινα καὶ μικρὰ καὶ οὐκ ἀξιοσπούδαστα*: utrum igitur sunt bona, quamvis minora, an non sunt, quia pro nihilo habenda? Quae de singulis laudat: *καλόν, τίμιον, σεμνόν, περιμάχητον, ζηλωτόν,* non solum eas res ab hominibus plurimi fieri indicant, sed etiam scriptoris aestimationem ex parte exprimunt. Talem opinionem in re maxima tam dubiam et tantum cum notionibus vulgaribus consensum a Stoica ratione longissime removendum esse crediderim. Stoici philosophi erat falsas hominum opiniones impugnare et refutare et eas res bona non esse demonstrare: *ἀδιάφορα* esse et solo recto usu aliquid valere[1]). Quamobrem Dyroffius non recte iudicasse mihi videtur, cum huius capitis tractationem veteri Stoae vindicat. Neque enim Chrysippi sententia, quam Plutarchus De Stoic. rep. 1034 B tradidit, hic adhiberi potest: *οὕτω ῥητορεύσειν καὶ πολιτεύσεσθαι τὸν σοφὸν ὡς καὶ τοῦ πλούτου ὄντος ἀγαθοῦ καὶ τῆς δόξης καὶ τῆς ὑγιείας.* Quamquam is sentiendi ac tractandi modus, quo orator utitur, ei quoque attribui potest, qui ad philosophiam deducere vult, tamen hoc loco a scriptore sine dubio vera Stoicorum doctrina explananda et vulgares errores funditus refellendi erant, si revera ad philosophiae i. e. Stoicorum doctrinae studium adhortari voluisset. Contra veteris Stoae in „bonis“ aestimandis severitatem mediae, quae vocatur, Stoae philosophos multo lenius ac liberalius sensisse constat. Sed ut quid sentiam, definiam: scriptor non unius philosophiae doctrinam propriam exhibere, sed undelibet varia, praecipue Stoica, compilasse videtur, sententiarum autem eius summa philosophiam non sapit, nedum Stoicam doctrinam, sed vulgaribus notionibus simillima est. — Restat locus non facilis intellectu 5 E *καὶ δύο τὰ πάντων ἐστὶ κυριώτατα ἐν ἀνθρωπίνῃ φύσει, νοῦς καὶ λόγος. καὶ ὁ μὲν νοῦς ἀρχικός ἐστι τοῦ λόγου, ὁ δὲ λόγος ὑπηρετικὸς τοῦ νοῦ κ. τ. λ.* Quae verba vix intelleguntur; nam pergit scriptor *λόγος . . ἀνάλωτος . . ἀναφαίρετος . . ἀδιάφθορος . . γήρᾳ δ' ἀλύμαντος· μόνος γὰρ ὁ νοῦς παλαιούμενος ἀνηβᾷ.* Nonne igitur hic *νοῦς* et *λόγος* idem valent? Concludamus licet scriptorem eam distinctionem non de suo proferre, sed aliunde translatam ipsum non intellexisse. Quid denique sibi vult *ὁ λόγος . . τοῦ νοῦ ὑπηρετικός*? Wyttenbachius eam differentiam eandem esse censuit, quam inter „*rationem*“ et „*orationem*“ atque Stoicam illam inter *λόγον ἐνδιάθετον* et *λ. προφορικόν*. Dubitari igitur potest, utrum *λόγος* hic in animo situs sit — id quod ex illo loco per se sequi

[1]) Quod in aliis philosophis item exspectaveris; *χρῆσις* scriptori non erat praetermittenda, nedum Stoico.

videtur — an sonet „verbum, orationem" et docendum institutionemque significet. *Λόγος*, si alteram significationem spectamus, a rhetoribus[1]) permagni fiebat, quippe quod erudiendi instrumentum sit (v. Graßberger, Erz. u. Unt. v. II p. 282; latine *„vox viva"*). Itaque *λόγος* et *παιδεία* saepe iunguntur (v. Wyttenbachii exempla), conferantur, quae Dio Chrysostomus copiose exponit or. 18 (*περὶ λόγου ἀσκήσεως*): *παιδεία* ante omnia in *λόγου*, orationis perfectione sita est. Quae sententia quantum rhetoribus apta sit, apparet. Altera notione *λόγος* in animo est atque plerumque idem sonat ac *νοῦς* vel potius saepe cum eo pariter coniungitur; ita semper fere a Stoicis usurpatur[2]). Facillime intellegi possit *παιδείαν* perfectionem *λόγου καὶ νοῦ*, rationis ac mentis, sapientiam esse. Sed Ps.-Plutarchi *λόγος*, qui *τῷ νῷ* subiectus sit neque pariter in initio quidem cum eo coniungatur, orationem significare videtur, cum et alias rhetorica ratione in eruditione laudetur. At cur scriptor omnia illa, quae ita subaudienda sunt, non ipse exposuit, quae tam facile ac magnifice rhetorum ritu declamari poterant? Cur porro proximis verbis *λόγον* ita usurpat, ut nisi animus intellegi non possit? Quam ob rem equidem *λόγον* toto loco in mente ponendum esse puto: sed *λόγος* et *νοῦς* diversae animi partes sint. Quod vix fieri potest, nisi Aristotelis imitationem, quamvis obscuram, conicimus, quem inter *νοῦν* et *λόγον* distinxisse ita, ut *νοῦς* superior sit, constat[3]). Ad Ps.-Plutarchi verba *καὶ δύο . . . κυριώτατα κ. τ. λ.* comparentur Aristot. Pol. 1334 b 15 *ὁ δὲ λόγος ἡμῖν καὶ ὁ νοῦς τῆς φύσεως τέλος, ὥστε πρὸς τούτους τὴν γένεσιν καὶ τὴν τῶν ἐθῶν δεῖ παρασκευάζειν μελέτην*: sententia plane eadem est, *νοῦς* et *λόγος* eruditionis finis sunt. Consimilem differentiam uno praeterea loco repperi, ex Archytae libro *περὶ σοφίας* in Iamblichi Protr. c. 4 p. 40 K *νόος ὕπατος λόγω καὶ διανοίας*, ubi *λόγος* orationem significare non potest. Cuius loci colorem Peripateticum conicere non est difficile[4]). Ps.-Plutarchum igitur sententiam A r i s t o t e l i c a m vel Peripateticam, quam ipse non recte intellexit, inseruisse censeo. Certe obscura explanatione locum, qualem legimus, auctori ulli philosopho vindicare vetamur.

---

[1]) Item a sophistis qui vocantur, cf. Gorgiae *Ἑλένης ἐγκώμιον* 8 sq. *λόγος δυνάστης μέγας ἐστίν, ὃς μικροτάτῳ σώματι καὶ ἀφανεστάτῳ θειότατα ἔργα ἀποτελεῖ* sq.

[2]) Nam hominis mens, *νοῦς* communis rationis, quae audit *λόγος*, pars est; cf. e. g. Wendland, Die hellenistisch-röm. Kult. u. d. altchristl. Lit. p. 111 et Quaest. Muson. p. 3, adn. 1.

[3]) Cf. e. g. Eth. Nic. 1143 a 36, ib. 1377 a 13.

[4]) Zeller, Phil. d. Gr. I 1² p. 214 („peripatetische Lehren und Ausdrücke„).

Caput 7. De institutione oratoria.

Caput 6 A—7 C totum fere versatur in argumentis his: agitur de iis, qui dicendo multitudini placere student (6 A—C), de orationis genere, quod vocatur extemporale (6 C—7 A), de dicendi generibus (7 A—B). De cura, quam scriptor inde a prima aetate in recto dicendi usu adhibet, iam supra quaestio erat. Quam praecipue in praeceptis rhetoricis magni factam esse facile comprobatur: Cicero, De or. III 45, Brut. 210 *sed magni interest, quos quisque audiat cotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur.* Quintilianum vero saepius eius rei rationem habere demonstrari iam non oportet. —Hoc loco scriptor *πανηγυρικοὺς λήρους* vituperat: in dicendo multitudinis voluptas non debet expeti, quia, qui placet multis, sapientibus displicet. Ita oratio cum moribus cohaeret: orator, qui virtuti studet, plebi non indulget. Tale de oratoris moribus iudicium Seneca saepius profert, ut Ep. 38, 2 *haec popularis (oratio) nihil habet veri, movere vult turbam et inconsultas aures impetu rapere,* vel 29, 10 *quis enim placere populo potest, cui virtus placet? malis artibus popularis favor quaeritur, similem te illis facias oportet ... philosophia praestabit, ut malis tibi placere quam populo.* Apud quem id iudicium cogitationibus inserendum est, quae latius patent. Nam omnino duo dicendi genera, ut ita dicam, apud eum exstant, oratoris et philosophi orationes contrariae. Ille verba, sententias, ornatum, hic res veritatemque curat, formae autem excolendae eatenus studet, ut verba rerum sublimitati respondeant eiusque, qui audit, animum permoveant[1]). Quam eandem distinctionem inter oratoris et philosophi genus dicendi Theophrastus fecit, fr. 64 (v. III. Wim.) *τοῦ λόγου σχέσεις ἔχοντος, τὴν μὲν πρὸς τοὺς ἀκροατάς, τὴν δὲ πρὸς τὰ πράγματα, τὴν μὲν ... ποιηταὶ καὶ ῥήτορες διώκουσιν, τὴν δὲ ... φιλόσοφοι.* Quamquam Ps.-Plutarchus de hac re nihil exhibet neque eum dicendi genus philosophiae proprium in animo habere verisimile est, tamen illam orationis iudicandae rationem, qua utitur, philosophiae aptam esse et praecepta, quae hoc capite continentur, quoquo modo de philosophia pendere concludi potest. At cavendum puto, ne quid ex solo illo multitudinis contemptu porro concludere velimus, qui omnium fere philosophorum hac quidem in re communis fuit. Nam omnes plus minusve Socratis vel Platonis opinionem secuti sunt, qui in Gorgia (464 D—465 B) artem rhetoricam in quattuor adulatoriis habet, cum nec vero nec bono studeat, sed voluptati serviat (364 D *τοῦ μὲν βελτίστου οὐδὲν φροντίζει, τῷ δὲ ἡδίστῳ θηρεύεται τὴν ἄνοιαν καὶ ἐξαπατᾷ* — similia sunt Ps.-Plut. verba 6 C *εἰ*

---

[1]) cf. Ep. 49, 12; 38, 1 sq.; 100, 4; 75, 4 sq.; 20, 2; 40, 2 sq.; 59, 4 sq.; 115, 1.

γὰρ ἄλλοις ἡδονὰς παρασκευάζοντες ἀμελοῦσι τοῦ καλοῦ κ. τ. λ.). Omnes philosophos plebi contrarios esse Seneca confirmat Ep. 29, 11 „*numquam volui populo placere etc.*“ *quis hoc? . . . Epicurus, sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. quis enim placere populo potest, cui placet virtus?* Quare Stoicorum dicta, quae Dyroffius contulit, Zenonis, Cleanthis, Chrysippi (Diog. Laert VII 182 *εἰ τοῖς πολλοῖς, εἶπε, προσεῖχον, οὐκ ἂν ἐφιλοσόφησα*) in tanto omnium consensu non multum valent[1]). Nihil aliud igitur efficitur, quam scriptorem cum Seneca maxime consentire, cum mores et orationis genus inter se coniungat. Nam 6 C med. eum, qui plebis voluptatem dicendo appetit, ipsum quoque deliciis ac vitiis deditum esse confirmat, quia — sic enim intellegendum est — vita cum oratione congruit. De qua re Seneca tota epistula 114. agit. — Sequens praeceptum, quod de extemporali oratione est, cum per se nihil e philosophia habere videatur, cum rhetorum praeceptis comparandum est. Si Ciceronis et Quintiliani opiniones adhibemus (Cic. De or. I 150, Quintil. Inst. or. IV 1, 54, X, 7, 1 *maximus vero studiorum fructus est et velut praemium quoddam amplissimum longe laboris ex tempore dicendi facultas)*, hunc scriptorem paulo severius sentire apparet; sed Quintilianus quoque II 4, 15 nimiam licentiam repudiat *extemporalis garrulitas . . . circulatoriae vere iactationis est.* Ps.-Plutarchus non utrum oratio extemporalis omnino probanda sit necne, quaerit, sed quatenus in iuvenili exercitatione esse debeat; quare eum in praecepto, quod in institutione oratoria semper viguerit, temporis sui usum respicere neque contendi neque protinus negari potest. Praeterea de civili oratione aliqua addit Periclis Demosthenisque exemplis adhibitis. Periclem[2]) eodem modo ad praeceptum illustrandum Plutarchus adfert Praec. ger. reip. 803 F *μάλιστα μὲν οὖν ἐσκεμμένῳ πειρῶ καὶ μὴ διακένῳ τῷ λόγῳ χρῆσθαι . . . εἰδώς, ὅτι καὶ Περικλῆς ἐκεῖνος εὔχετο πρὸ τοῦ δημηγορεῖν μηδὲ ῥῆμα μηδὲν ἀλλότριον τῶν πραγμάτων ἐπελθεῖν αὐτῷ.* Tamen etiam ad subito dicendum oratorem exercitatum esse debere Plutarchus censet; deinde quae fuerit Alcibiadis consuetudo, Theophrasto auctore narratur[3]). Verisimile est praecepta eorum consentire, cum uterque *σκέψιν*, praeparationem meditationis suadeat. Neque differt, quod Plutarchus orationem extemporalem necessariam fere et efficacem esse praedicat (cf. l. l. *ἐκπλήττει μάλιστα καὶ προσάγεται τοὺς πολλοὺς καὶ μετατίθησιν*), cum Ps.-Plutarchus quoque *τῶν λόγων τὴν ἑτοιμότητα* non repudiet. Quod autem a Plutarcho Theo-

---

[1]) Cf. Platonis Leg. 659 C, ubi quantum plebis imperitae iudicium et laus vituperatiove hominibus philosophiae vel artis studiosis noceant, exponitur.

[2]) De Demosthene cf. similem locum Plut. Vita Dem. 849.

[3]) Idem profert Plutarchus, Quom. quis s. in virt. sent. prof. 80 D.

phrastus auctor laudatur, ab illo philosopho vel a Peripateticis eam rem tractatam esse fortasse concludi potest; neque illorum studio in eloquentiae exercitatione habito contrarium erat de ea re agere neque mediocritas, quae commendatur (6 C *σκέψις δ' οὐκ ἐᾷ τῆς ἱκνουμένης συμμετρίας τὸν λόγον ἐκπίπτειν*), ab eorum ratione abest[1]). Accedit argumentum haud ita debile. Themistius, quem Peripateticorum opinionibus imbutum fuisse constat, or. 25. p. 310 C se excusat: *οὐ γὰρ οὕτως εἰμὶ σοφὸς οὐδὲ εὔπορος, ὥστε αὐτοσχεδιάζειν ὥσπερ ἔτυχε τὰς γραφὰς καθάπερ οἱ δαιμόνιοι σοφισταί* atque se defendit, quod et Phidiae magnisve pictoribus ad elaboranda opera aliquo temporis spatio opus erat. Nonne fabula, quam hic scriptor de malo quodam pictore et Apelle narrat, quamquam vix intellegitur, ex eadem cogitatione profecta est? Id nempe significat eorum, qui cito opera conficiunt, celeritatem in operis vilitate apparere, rei autem absolutae tempore satis magno opus esse. Accedit quod Ps.-Plutarchi locus, qui sine ulla explanatione proferatur, per se difficilis intellectu est; qua re eum auctorem aliquem sequi probatur.

In dicendi denique generibus difficile non est ad vocabula, quibus genera describuntur, illustranda aliorum scriptorum exempla conferre (v. Ernesti, Lexicon technol. rhet. Graec.). Quamquam igitur iisdem ex parte verbis, quibus Ps.-Plutarchus utitur, apud Dionysium Halic., Demetrium, alios vitiosa dicendi genera depinguntur, tamen hunc locum vix ulli generum distributioni rhetoricae inseri posse putaverim. Nam *χαρακτῆρες* illi *τῆς λέξεως*, quos e. g. Demetrius De eloc. c. 36 quattuor enumerat (*ἰσχνός, μεγαλοπρεπής, γλαφυρός, δεινός*), hoc loco non significantur. Similiora Ps.-Plutarchi verbis sunt, quae de unius cuiusque generis vitiis proferuntur[2]). Tamen dividendi ratio non respondet. Ps.-Plutarchus enim non de rectis dicendi generibus eorumque vitiis agit, sed inter duo extrema vitia mediam viam tenere studet. Itaque apud eum vocabula, quibus vitiosa dicendi genera rectis opposita significari solebant, ut (v. Norden, Ant. Kunstpr. I p. 69 adn. 1) *κομψόν, ψυχρόν, οἰδοῦν, μειρακιῶδες, κακόζηλον*, quibus vocibus vitium cetera complectens, quod nos „Asianismus“ vocare consuevimus, describebatur, non usurpari admirandum non est. Quam ob rem ea tempora quaerenda nobis esse videntur, quibus illi vitio, quo, quaecumque nimia erant, continebantur (i. e. *κακοζηλία*), aliud contrarium natum est, quod e simplicitatis et rectae sobrietatis studio — id quod nos „attizistische

---

[1]) In vocabulis *πολυλογία* et *ματαιολογία* Clementem Al. *Παιδ.* II 7 (58 *οὔτε γὰρ μακρολογητέον ποτὲ οὔτε πολυλογητέον οὔτε ἀδολεσχητέον*) non comparaverim, quippe qui non de oratione, sed de sermone praecipiat.

[2]) Sic. Ps.-Plut. *ὑπέρογκος* idem sonat ac Demetrii *περιβάλλων ὄγκον* (ib. 119) in vitio primo generi opposito, quod est *ψυχρότης*.

Reaktion" appellamus — ortum ipsum in omnis ornatus pulchritudinisque defectu erat. Tunc demum duo exstant genera dicendi, quorum utrumque vitiosum dici potest et inter quae media via est (cf. Norden l. l. p. 256 sq.). Ita explicatur, quod prius Ps.-Plutarchi genus vitiosum, quod nimio cultu orationis continetur, veteribus vitiis respondet, quia „Asiana" quae vocatur dictio postea quoque exstabat (Norden „der neue Stil"). Ad verba *ὑπέρογκος, παρατράγῳδος, θεατρικός* comparari possunt: Norden l. l. p. 294 *cantare et saltare*, Philostrat. *B. σοφ.* I 19, 1 *ὑπόβακχος καὶ διθυραμβώδης*, Dionysius Hal. Demosth. 1008 *διὰ τῶν θεατρικῶν σχημάτων καλλωπίζειν τὸν λόγον*; *παρατράγῳδος* hic idem sonat ac *τραγῳδεῖν* vel *τραγικῶς λέγειν*, cf. Philostr. *B. σοφ.* II. p. 257 *ἐκ τῆς τραγῳδίας ῥήρηκώς*. Quam dictionem Ps.-Plutarchus *ἀπολίτευτον* vocat ita, ut Philostratus l. l. de Niceta scribit *ἡ ἰδέα τῶν λόγων τοῦ μὲν ἀρχαίου καὶ πολιτικοῦ ἀποβέβηκεν*; quamquam *ἡ πολιτικὴ λέξις* iam multo ante *τῇ σοφιστικῇ* vel *λογογραφικῇ* opponebatur[1]). Alterum vitium, quod scriptor *σμικρολογίαν τῆς λέξεως* et *ταπείνωσιν* appellat, idem esse videtur, quod Quintilianus Inst. or. VIII 5, 32 ita describit: *qui fugiunt ac reformidant omnem hanc in dicendo voluptatem nihil probantes nisi planum et humile et sine conatu.* Si scriptor vocem *ἀνέκπληκτον* usurpat, in mentem nobis venit illo tempore *ἔκπληξιν* permultum valuisse aeque ac *θαυμάζεσθαι*, quod idem postulat (v. Cressolium, Theatr. rhet., Thes. Gronov. X, I c. 5). Consimiliter auctor *περὶ ὕψους* sentit: conferantur Ps.-Plut. *τὸ μὲν γὰρ ἀσφαλὲς ἐπαινεῖται μόνον, τὸ δὲ ἐπικίνδυνον καὶ θαυμάζεται* et *π. ὕψους* 33, 2 *μήποτε δὲ τοῦτο καὶ ἀναγκαῖον ᾖ τὸ τὰς μὲν ταπεινὰς καὶ μέσας φύσεις διὰ τὸ μηδαμῇ παρακινδυνεύειν μηδὲ ἐφίεσθαι τῶν ἄκρων, ἀναμαρτήτους ὡς ἐπὶ πολὺ καὶ ἀσφαλεστέρας διαμένειν, τὰ δὲ μεγάλα ἐπισφαλῆ δι' αὐτὸ γίγνεσθαι τὸ μέγεθος . . .* 36, 1 *καὶ τὸ μὲν ἄπταιστον οὐ ψέγεται, τὸ μέγα δὲ καὶ θαυμάζεται.* Non est praetermittendum Senecam hac quoque in re cum Ps.-Plutarcho, magis etiam cum auctore *π. ὕψους* miro modo consentire: Ep. 114, 11 *necesse est enim hoc facere* (i. e. ad vitium accedere) *aliquid grande temptanti* (cf. totam hanc epistulam). Neque repudiat ille philosophus ornatum, ne audaciam quidem orationis improbat, quia verba rerum sublimitati apta esse vult, Ep. 75, 3 *non mehercules ieiuna esse et arida volo, quae de rebus tam magnis dicentur.* In Lucili amici dictione laudat Ep. 59, 6 *translationes verborum ut non temerarias, ita quae periculum sui fecerint.* Iudicia tam congruentia si non artius cohaerent, certe eidem fere aetati attribuere licet. Senecam adhibere pergamus: eum illi dicendi generi, quod philosophi proprium est, eandem mediocritatem adsignare, quam Ps.-Plutarchus in omni

[1]) Cf. Dionys. De comp. verb. 12; Hermogenem *π. ἰδεῶν* II 10 (Rhet. Gr. ed. Spengel, v. II p. 398).

oratione exigit, consentaneum est (ut Ep. 40 et *concitatam orationem* et *illam inopiam et exilitatem* improbat). Quam mediocritatem ex aliqua philosophia derivare sane non oportet; tamen alicuius momenti est eandem dictionem optimam iam Aristotelem statuisse, Rhet. 1404 b 3 *ὡρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι . . . καὶ μήτε ταπεινὴν μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ πρέπουσαν.* Luculentissime autem medium dicendi genus et *μεσότης* Peripatetica componuntur a Dionysio Halic. *π. συνθέσ. ὀνομ.* 24, 186 (de *μέση* vel *εὔκρατος σύνθεσις*) *αὕτη δοκεῖ μοι τὰ πρωτεῖα ἐπιτηδεία εἶναι φέρεσθαι, ἐπειδὴ μεσότης μέν τίς ἐστιν (μεσότης δὲ ἡ ἀρετὴ καὶ βίων καὶ ἔργων [καὶ τεχνῶν] ὡς Ἀριστοτέλει τε δοκεῖ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσοι κατ' ἐκείνην τὴν αἵρεσιν φιλοσοφοῦσιν)*[1]. Etiam apud Ps.-Plutarchum hoc loco colorem Peripateticum subesse probabilius fit, si sequens enuntiatum legimus: *τὴν αὐτὴν δὲ τυγχάνω γνώμην ἔχων καὶ περὶ τῆς ἐν τῇ ψυχῇ διαθέσεως*[2] *κ. τ. λ.* Quid enim sibi vult *τὴν αὐτήν*? Ex verbis sequentibus perspicuum est et a scriptore definitur: *ἔντεχνον δὲ τὸ τὴν μέσην ἐν ἅπασι τέμνειν ἐμμελέστατα.* Satis tritum est eam mediocritatem (*μετριότης*) apud Peripateticos omnium virtutum rationem fuisse. Ps.-Plutarchus eundem animi statum postulat, quo virtutes Peripateticae continentur, cf. Stob. Ecl. II p. 141, 5 W. *σώφρονά τε γὰρ εἶναι οὔτε τὸν καθάπαξ ἀνεπιθύμητον οὔτε τὸν ἐπιθυμητικόν* et Eth. Eud. II. 1220 b 38 *ἀνδρία* est mediocritas inter *θρασύτητα* ac *δειλίαν*, *αἰδώς* inter *ἀναισχυντίαν* et *κατάπληξιν*; cum Ps.-Plutarchi verbis *θρασύς, καταπλήξ, ἀναισχυντία.* Atque si posteris temporibus apud philosophos eclecticos, qui vocantur, mediocritatem permagni fieri animadvertimus, Peripati imitatio plerumque recte conici potest. Quod certe in media Stoa valet, cuius opinio exstat apud Ciceron. De off. I 25, 89 *mediocritatem illam . . . quae est inter nimium et parum, quae placet Peripateticis et recte placet . . .* (cf. ibid. I 35, 129; 128; 27, 93 etc.). Ita Ps.-Plutarchi verba cum Posidonii quoque opinione plane congruunt, quam exhibet Galenus, de Hipp. et Plat. d. 467 K. . . . *ἐπιθυμίας τε καὶ θυμοῦ, μήτ' ἰσχυρῶν ὑπαρχόντων ἄγαν, μήτ' ἀσθενῶν, μήτ' ὀκνηρῶν, μήτ' ἐκφόρων, μήτε δυσπειθῶν ὅλως ἢ ἀκόσμων ἢ ὑβριστῶν κ. τ. λ.* Adiciamus nunc de eodem philosopho testimonium, quo eum a Ps.-Plutarchi magnitudinis notione, qua admirationem et audaciam ipsam contineri supra apparuit, haud multum afuisse probatur. De eius dicendi genere Strabo iudicat III

[1]) De Theophrasti in ea re momento cf. Kroll., Cicero, Orator (1913), praef. p. 4 adn. 1, qui sententiam nuper prolatam (Stroux, De Theophr. virtutibus dicendi, 1912), qua dicendi generum trium distributionem illo auctore ortam esse negatur, repudiat.

[2]) Stob. Ecl. II p. 128, 11 W. (de Peripato): *ἀρετὴν δ' ὠνομάσθαι τὴν ἀρίστην διάθεσιν . .,*

p. 147 C. *Ποσειδώνιος δὲ τὸ πλῆθος τῶν μετάλλων ἐπαινῶν καὶ τὴν ἀρετὴν οὐκ ἀπέχεται τῆς συνήθους ῥητορείας, ἀλλὰ συνενθουσιᾷ ταῖς ὑπερβολαῖς.* Quibus ex verbis de Posidonii animo ac dictione concludi potest; satis sit similitudinem animadvertere, quae inter Posidonium, Senecam, Ps.-Plutarchum, auctorem *περὶ ὕψους* intercedit. Scriptoris igitur de recto animi statu iudicium Peripateticis vel eorum imitatoribus attribuendum esse probabile est; quare etiam dicendi generum distributionem, cum eadem rectae mediocritatis notione (cf. Ps.-Pl. *τὴν αὐτὴν γνώμην*) nitatur, ex illorum philosophia aliquid habere verisimillimum est.

Restat locus, qui totus in exercitatione rhetorica est: 7 B scriptor *τὸν μονόκωλον λόγον* vel *μονῳδίαν* repudiat. Quae vocabula breviter explicanda sunt, quod praeceptum nudum aliunde translatum loco minime apto insertum est. *Μονόκωλος περίοδος* est periodus simplex, e singulis membris composita[1]). Hoc loco sicut *μονῳδία*[2]) idem mihi quidem videtur significare, quod *μονότροπος λέξις,* elocutio simplex, cui opponitur *ἡ ποικίλη, μεμιγμένη* (cf. Ps.-Dionys. artis rhet. p. 8, 3 Us.). Rhetorum de hoc genere iudicia Ernestius praebet in Lex. techn. Graec. rhet.: e. g. Phoibammon *μονόσχημον* et *προσκορῆ λόγον* eundem dicere videtur, cum dicat *τὸ γὰρ ἀεὶ ὁμοίως ἔχον ἐμποιεῖ κόρον.* Perspicuum igitur est Ps.-Plutarchi opinionem et verba in rhetorum officinas revocanda esse. Iterum Aristotelis iudicium cognoscere ex re est: Rhet. 1409 b 17 *ἀφελῆ δὲ λέγω τὴν μονόκωλον (λέξιν). δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα καὶ τὰς περιόδους μήτε μυούρους εἶναι μήτε μακράς. τὸ μὲν γὰρ μικρὸν προσπταίειν πολλάκις ποιεῖ τὸν ἀκροατήν.* — Liceat tandem mihi, de toto capite quid sentiam, complecti: praecepta rhetorica, cum magna ex parte ad exercendum spectent, ex tractatione rhetorica compilata esse possunt. Quam philosopho auctori vindicandam censuerim, quae est in singulis rebus iudicandi ratio; qui, cum nonnumquam vestigia Peripati non difficilia sint conspectu, aliquo modo hinc pendet. Probatum denique est auctorem posterioribus antiquitatis temporibus ponendum esse.

Caput 8. Τὰ ἐγκύκλια παιδεύματα et philosophia.

Huius capitis argumentum prius breviter absolvi potest. Nam quaecumque cum huius scriptoris sententia, qua liberalium artium rationem tractat, comparari possunt, a Nordenio Ant. Kunstprosa II

---

[1]) Demetr. De el. 17.

[2]) Quae aliud significare solet, *θρηνεῖν καὶ κατοικτίζεσθαι* (Menander *π. ἐπιδ.*, Rhet. Gr. v. III p. 434 Speng.). Quare vocem corruptam esse verisimilius videtur; Radermacher quidem *μον⟨οκ⟩ωλία* conicit, quae vox lectioni traditae sane simillima est.

670 collata atque luculente explanata sunt[1]). Quae ratio inter artes liberales vel eruditionem communem et philosophiam fuerit, ille vir doctus ita fere exponit: inde a Platone inter eruditionem vulgarem, quae utilia docendo vitae necessitates respicit, et philosophiae studium contentio erat. Non deerant, qui illum secuti vulgarem institutionem plane aspernarentur: Cynici, vetus Stoa, Epicurus, Sceptici in ea re consentiunt. Contra alii mediam tenuerunt viam ita, ut philosophiam reliquis scientiis, artibus, toti eruditioni tamquam caput finemque praeficerent easque probarent, quatenus ad summum studium, philosophiam animum praeparant (*προπαιδεύειν*). Ita primus Isocrates *Περὶ ἀντιδόσ.* 261 sq. (*γυμνασίαν τῆς ψυχῆς καὶ παρασκευὴν τῆς φιλοσοφίας*), deinde praeter alios praecipue Posidonius ac media Stoa censuerunt[2]). Quam postea complures philosophi secuti sunt, ut Seneca et Philo. Conferatur Senecae sententia, Ep. 88, 1 *liberalia studia hactenus utilia, si praeparant ingenium, non detinent . . . . rudimenta sunt nostra, non opera . . . non discere debemus ista, sed didicisse.* Hanc eandem fere Ps.-Plutarchi opinionem esse facile probatur: nam puerum *μήτε ἀνήκοον μήτε ἀθέατον* esse iubet studiorum liberalium, *τὴν δὲ φιλοσοφίαν πρεσβεύειν.* Quid illa studia prosint, non explicat, sed sine dubio eius quoque sententia ad philosophiae institutionem praeparandam valent (cf. *δεῖ τῆς ἄλλης παιδείας ὥσπερ κεφάλαιον ποιεῖν τὴν φιλοσοφίαν*). Quam ob rem Bionis dictum, quod ad rem illustrandam adhibet, non quadrat, quippe quod ex eius sententia sit, qui studia liberalia plane aspernatur et ad philosophiam etiam sine illis perveniri posse censet[3]). Concludere licet illud dictum vulgare ac facetum a scriptore undelibet temere insertum esse[4]). Si denique Ps.-Plutarchi opinionis auctorem quaerimus, eum Stoicorum sententias sequi per se verisimile videtur, cum, quae sequuntur, adicienda sint; tamen — id quod facillime concluseris — eius iudicium mediae Stoae pro certo attribui non potest. Nam etiam Chrysippus contra Zenonem, qui Cynica ratione *τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν ἄχρηστον* esse confirmavit (Diog. Laert. VII 32), ita censuit: *εὐχρηστεῖν δὲ καὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα.* Consimile autem Aristotelis iudicium est, quod exstat Diog. L. V 31 *εὔχρηστα δὲ καὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα πρὸς*

---

[1]) Accedunt eiusdem additamenta Fleck. Jahrb. Suppl. XIX, 2, p. 418 adn. 1 et XVIII, p. 315.

[2]) Nord. l. l. p. 671 adn. 3; addi possunt Academicorum dicta apud Stob. Ecl. II c. XXXI, 27 Crantoris, 28 Arcesilai, 111 Xenocratis.

[3]) Quod dictum a Stobaeo Aristoni, a Diogene L. (II 29) Aristippo datur (cf. Norden. l. l. et Hense, Telet. reliqu. p. LXVII). Sine dubio tali opinioni aptum est, qualis erat Cynicorum veterisve Stoae.

[4]) Altera imago, qua scriptor utitur, simili cuidam respondet, quae viam ac deverticula depingit (v. Norden l. l. p. 671 et Jahrb. S. XVIII, p. 315).

ἀρετῆς ἀνάληψιν; idem in educatione tractanda magnam earum curam habet. Quod item Chrysippum fecisse exspectamus, ut, quatenus illa studia *εὔχρηστα* essent, demonstraret. Cuius quaestionis cum Ps.-Plutarchus mentionem non faciat neque omnino quicquam accuratius de artium liberalium ratione disserat dictumque opinioni suae alienum inserat, eum non unius auctoris philosophi tractationem secutum esse, sed tantummodo suae opinionis argumenta congessisse crediderim, praesertim cum illa res apud philosophos eosque praecipue, qui populares vocantur, trita fuisse videatur.

Transeamus ad philosophiam. Quidnam sonat Ps.-Plutarchi *φιλοσοφία*? Nihil aliud est, ut e sequentibus eius verbis elucet, quam virtus in recte agendo posita: nihil de cognitione, scientiis, sapientia; soli mores valent. Iam dudum a viris doctis cognitum est[1]) talem philosophiae notionem, quae solos mores respicit, posteriori philosophiae Graecae aetati attribuendam esse. In philosophiae opere describendo scriptor officia enumerat, quae sunt hominis erga eos, quibus utitur: quae Stoicorum doctrinae, qua *τὰ καθήκοντα* tractantur, maxime respondent. Quare quaerendum mihi esse videtur, num quae eius sectae vestigia certa Ps.-Plutarchi verbis indicentur. Stoicorum de officiis doctrinam copiose explanavit Praechter, Hierokles der Stoiker, p. 40, ubi locos complures congessit. Quomodo officia distribuantur apud varios auctores, illustrare liceat eorum, erga quos praestanda sunt, nominibus breviter enarrandis: Musonius ep. 8 (Epist. Gr. Herch. p. 403, 6) *ἐπιμελεῖται . . ἑαυτοῦ, πατρίδος, πατρός, ἀδελφῶν, φίλων, πάντων*; Epictet. Diss. II 17, 31 *πρὸς θεούς, γονεῖς, ἀδελφούς, πατρίδα, ξένους*; Dio, or. 69, 2 *ἑαυτῶν προίστασθαι . . οἶκον οἰκῆσαι . . ἄρξαι πόλεως . . φίλοις . . συγγενέσι . . γονέων . . θεός*; Diog. L. VII 108 *γονεῖς, ἀδελφούς, πατρίδα, φίλοις, συγγενῶν*; idem VII 120 similiter addita

---

[1]) Cf. Zeller, Gesch. d Phil. III 1^3 p. 733; Wendland, *Quaest. Muson.* passim; Schuetzius, *Iuvenal. eth.* p. 7. Hanc philosophiae aestimationem, qua secundum usum et utilitatem iudicatur eaque sola probantur, quae in agendo prosunt, ut illis temporibus viguit, quibus philosophi cognoscendi et cogitandi studio paene amisso vitae necessitatibus se accomodabant, ita iam antea apud eos valuisse constat, qui eius magnitudinis inscii erant. Ita Isocratis iudicium simile est: *Π. ἀντιδ.* 285 . . *ἐξ ὧν καὶ τὸν ἴδιον οἶκον καὶ τὰ κοινὰ τὰ τῆς πόλεως καλῶς διοικήσουσιν, ὧνπερ ἕνεκα καὶ πονητέον καὶ φιλοσοφητέον καὶ πάντα πρακτέον ἐστίν*; qua re neglecta adulescentes solent *ἐν πότοις καὶ συνουσίαις καὶ ῥᾳθυμίαις καὶ παιδιαῖς τὴν ἡλικίαν διάγειν ἀμελήσαντες τοῦ σπουδάζειν, ὅπως ἔσονται βελτίους.* Eadem fere etiam Xenophontis philosophiae notio erat. Neque praetermittendum est Ps.-Plutarchi sententiam iisdem fere rebus definiri: philosophia studium virtutis, quae est vitae optime instituendae ratio, remedium vitiorum, potentiae ac prudentiae subsidium est.

πρὸς τὰ τέκνα φιλοστοργίᾳ; M. Aurel. 5, 31 *θεοῖς, γονεῦσι, ἀδελφοῖς, γυναικί, τέκνοις*; Horatius, Ep. II 3, 312 *patriae, amicis, parens, frater, hospes;* Epictet. Diss. III 21, 5 *ἔνεγκε ἀδελφόν, πατέρα, υἱόν, γείτονα, σύνοδον*; Seneca Ep. 94, 1 . . *marito suadet, quomodo se gerat adversus uxorem, patri, quomodo educet liberos, domino, quomodo servos regat.* Comparetur praeterea Iamblich. *Προτρ.* XX: *θεοσέβεια . . ἀψεύδεια . . νόμοις χρηστέον . . πρὸς ἀνθρώπους.* Quibus ex locis eam distributionem non certam quandam, sed apud alios aliam esse apparet. Atque Ps.-Plutarchus cum iis fere congruit: *θεοῖς, γονεῦσι, πρεσβυτέροις, νόμοις, ἀλλοτρίοις, ἄρχουσι, φίλοις, γυναιξί, τέκνοις, οἰκέταις.* Quod si *πατρίς* deest, *νόμοι* et *ἄρχοντες* in eius locum succedunt; Stoicae rationis argumentum id praecipue habuerim, quod *ἀλλότριοι* commemorantur sicut ab Epicteto *ξένοι* et ab Horatio *hospes*[1]). At officium erga fratrem praestandum deesse animadvertendum est, quod ubique fere legimus[2]). Quod locis laudatis non occurrit, *νόμοις πειθαρχεῖν,* a Stoicorum ratione alienum non est[3]). Maior autem differentia in eo est, quod Ps.-Plutarchus officia hominis erga se praestanda paene omittit; nam quae antecedunt (*γνῶναι τί τὸ καλόν* etc.), de omni morum cognitione valent neque quicquam in agendo praecipiunt. Stoici contra philosophi est ante omnia, quomodo homo se erga se ipsum gerat, i. e. quomodo vitam degat et bona tractet, exponere[4]). Aliud, quod deesse aegre tuleris, id quod supra diximus, est, quod non animi mores neque virtutem ipsam tractat, sed solas actiones, quibus virtus exprimitur. Sed ea res notioni, quam habet de philosophia, respondet. Quare auctor quin sit Stoicus, nihil obstat, etiamsi illo ipso tempore, quo philosophia popularis vitae condiciones administrabat, tales opiniones apud plerosque homines eruditos, nedum apud philosophos eclecticos vulgares[5]) fuisse consentaneum est. Quin etiam de veteris Stoae fonte conicere aliquis facile potest, quamquam sine dubio virtutum, actionum, officiorum explicationem paulo subtiliorem atque ante omnia magis doctrinam Stoicam redolentem exspectaremus.

---

[1]) Quod postea officium erga *ἀλλοτρίους* excidit, ideo *πῶς ἀλλοτρίοις* hic non est eiciendum, quod fecit Hercher in edit. (1872).

[2]) Nam *φιλαδελφία* a Stoicis permagni aestimabatur, cf. Praechter l. l.

[3]) cf. Praechter l. l.; Dyroff, Eth. d. alt. St. p. 222; Stob. Ecl. II p. 103, 10 W. *τὸν γὰρ νόμον εἶναι σπουδαῖον*; quamquam saepius leges traditae, quae legi rationali eorumque doctrinae repugnarent, repudiabantur.

[4]) Cf. e. g. Epict. Diss. III 14, 7; 21, 5 al.

[5]) Nonnullas etiam semper vulgo viguisse consentaneum est, ut testatur Ps.-Isocrates *Πρὸς Δημ.* 13 sq. et 16: *τοὺς μὲν θεοὺς φοβοῦ, τοὺς δὲ γονεῖς τίμα, τοὺς δὲ φίλους αἰσχύνου, τοῖς δὲ νόμοις πείθου.*

Sed Ps.-Plutarchi sententia philosophia maius etiam bonum hominibus praebet: *μήτε ἐν ταῖς εὐπραγίαις περιχαρεῖς, μήτε ἐν ταῖς συμφοραῖς περιλύπους εἶναι, μήτε ἐν ταῖς ὀργαῖς ἐκπαθεῖς καὶ θηριώδεις*, id est: affectuum mediocritatem. Iam antequam alios comparamus, haec verba a veteris Stoae animo aliena esse elucet; nam ut praetermittam Stoicorum affectus primarios fuisse *ἐπιθυμίαν, φόβον, λύπην, ἡδονήν*, quibus ceteri certa ratione discripti subiciebantur[1]), nihil singularem Stoicorum in ea re opinionem et severitatem significat. Affectuum enim mediocritatem ubivis alias potius quaerere licet. Iam Plato in affectibus, praecipue in laetitia et maestitia rectum ac decorum modum vult: Leg. 732 C *χρή . . ὅλην περιχάρειαν πᾶσαν ἀποκρυπτόμενον καὶ περιωδυνίαν εὐσχημονεῖν πειρᾶσθαι* et 793 A *ἐγὼ . . συγχωρῶ τὸν λύπης τε καὶ ἡδονῆς ἀκράτου βίον φεύγειν δεῖν πάντας, . . . μέσον δέ τινα τέμνειν ἀεί*. Et erat sane vulgarior talis sapientia: Ps.-Isocrates, *Πρὸς Δημ.* 42 *οὕτω γὰρ οὔτ' εὐτυχῶν ἔσει περιχαρὴς οὔτε δυστυχῶν περίλυπος . . χαῖρε καὶ λυποῦ μετρίως*. Tamen illam mediocritatem hic quoque philosophiae vindicare licet, Peripateticorum dico. Atque de reliquis rebus supra actum est, hic de affectibus quaestio est. Conferatur Aristotelis Eth. Nic. 1104 b 8 *περὶ ἡδονὰς γὰρ καὶ λύπας ἐστὶν ἡ ἠθικὴ ἀρετή*[2]). *διὸ δεῖ ἦχθαί πως εὐθὺς ἐκ νέων, ὡς ὁ Πλάτων φησίν, ὥστε χαίρειν τε καὶ λυπεῖσθαι οἷς δεῖ . . . ἔτι δ' αἱ ἀρεταί εἰσι περὶ πράξεις καὶ πάθη κ. τ. λ.*: nonne Ps.-Plutarchi quoque virtus *περὶ πράξεις καὶ πάθη* est, qui solam virtutem in agendo positam et rectum affectuum modum tractet? Eiusdem illius verba Eth. Nic. 1124 a 15 *ὁ μεγαλόψυχος . . μετρίως ἕξει . . οὔτ' εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται οὔτ' ἀτυχῶν περίλυπος* cum hoc scriptore congruunt[3]). Ps.-Plutarchum in ceteris quoque affectibus mediocritatem significare facile intellegitur: nam vocabula *ἐκλύτους, ἐκπαθεῖς, θηριώδεις* sicut *περιχαρής* et *περίλυπος* clare nimios et immoderatos affectus indicant. Qui si vituperantur, moderationem et rectum eorum statum exigi sequitur. Ps.-Plutarchi igitur verba cum genuina Stoicorum doctrina minime consentiunt, sed Peripateticum colorem clamant, ut ita dicam. Neque deinde antecedentis partis argumentum, ubi officia enarrantur, a Peripateticorum cogitationibus alienum esse Theophrasti verbis probatur, quae tradit Stobaeus (fr. 152 Wim.): *χρὴ τοίνυν τὸν μέλλοντα θαυμασθήσεσθαι περὶ τὸ θεῖον φιλοθύτην εἶναι . . ἔπειτα γονεῖς γηροτροφεῖν καλῶς . . καὶ μὴν καὶ γυναικὸς καὶ παίδων*

---

[1]) Cf. v. Arnim, Vet. Stoic. fragm. III fr. 394 sq.

[2]) Cf. Stob. Ecl. II p. 138, 21 W. *ἀφορίζεσθαι τὴν ἀρετὴν . . καὶ ἡδονῇ καὶ λύπῃ.*

[3]) Eadem sententia, fortasse ex Peripati imitatione, est Iamblichi, ep. ad Sopatr., Stob. Ecl. II p. 234, 14 W: *συμφωνίαν ἡδονῆς καὶ λύπης πρὸς τὰ καλὰ <καὶ αἰσχρὰ> ἔργα παρασκευάζει.*

ἐπιμελητέον καλῶς καὶ φιλανθρώπως. Si vero, quod supra verisimile visum est, illa pars Stoicis attribuenda est, nihil relinquitur, nisi ut auctoris philosophiam e Stoicorum et Peripateticorum opinionibus commixtam esse putemus. Atque Peripati imitationem apud mediae Stoae adseclas viguisse constat, qui in affectibus iudicandis veterum acerbam severitatem mitigaverint et hominis naturae verae doctrinam accommodarint. Huic psychologiae convenit, ut philosophia etiam irrationales animi facultates curet, libidines atque affectus temperet et sanet. Ita fere Clemens Alex. philosophiae opus describit Paed. I 1, 1: paedagogi est *βελτιῶσαι τὴν ψυχήν, οὐ διδάξαι, σώφρονός τε, οὐκ ἐπιστημονικοῦ καθηγήσασθαι βίου*; ibid. 2, 6 . . *λόγος . . θεραπευτικὸς τῶν παρὰ φύσιν τῆς ψυχῆς παθῶν. κυρίως μὲν γὰρ ἡ τῶν τοῦ σώματος νοσημάτων βοήθεια ἰατρικὴ καλεῖται τέχνη . . λόγος δὲ ὁ πατρικὸς μόνος ἐστὶν ἀνθρωπίνων ἰατρὸς ἀρρωστημάτων.* Eodem modo Ps.-Plutarchus philosophiam laudat 7 D: *περὶ μὲν τὴν τοῦ σώματος ἐπιμέλειαν . . εὗρον τὴν ἰατρικὴν καὶ τὴν γυμναστικήν . . τῶν δὲ τῆς ψυχῆς ἀρρωστημάτων καὶ παθῶν ἡ φιλοσοφία μόνη φάρμακόν ἐστιν.* Quae comparatio quamquam non rara erat, tamen utriusque scriptoris sententia hoc summum philosophiae opus esse animadvertamus. Quae si concludimus: scriptoris de philosophia iudicium eclecticorum temporibus respondet, quia cogitationes Stoicas et Peripateticas coniungit.

Caput 9. Βίοι (8 A—B).

Sequitur vitae optime degendae explicatio. Quaestio, quae erat *περὶ βίων*, in Stoicorum doctrina — nam ab his liceat ordiri — satis confusa fuisse videtur[1]). Trium formarum divisio, quam Diogenes Laert. VII 130 exhibet: *βίων δὲ τριῶν ὄντων, θεωρητικοῦ καὶ πρακτικοῦ καὶ λογικοῦ, τὸν τρίτον φασὶν αἱρετέον· γεγονέναι γὰρ ἀπὸ τῆς φύσεως ἐπίτηδες τὸ λογικὸν ζῷον πρὸς θεωρίαν καὶ πρᾶξιν*, nempe genuina Stoicorum erat. Sed cum *πρακτικὸς βίος* sit *πολιτικός*, sapienti rem publicam tractandam esse sequitur, quod *λογικὸς βίος* et *θεωρίαν* et *πρᾶξιν* amplectitur: sed in ea re differentia est. Chrysippus enim apud Diogen. Laert. VII 121 *πολιτεύεσθαι* ait *τὸν σοφόν, ἂν μή τι κωλύῃ*, i. e. ante omnia si res publica non prava est. Itaque Seneca ex veterum doctrina se defendit, De otio 8, 1 *e lege Chrysippi vivere otioso licet* et saepius Zenonem, Cleanthem, Chrysippum exempla affert (ut De ot. 6, 5). Idem Chrysippus Plutarcho De Stoic. rep. 1033 D testante *οὐδὲν τὸν σχολαστικὸν βίον τοῦ ἡδονικοῦ διαφέρειν* censuit. Quoquo modo se res habet, veteres Stoicos sapientis esse rei publicae administrationem posuisse constat, quoniam is

[1]) Cf. praec. Dyroff, Ethik d. alten Stoa, p. 232.

solus civitatem bene et cum salute omnium regere scit, sed revera ne ipsos quidem praeceptum perfecisse atque nonnullas causas repperisse, quibus sapiens hoc officio liberaretur. Seneca quidem pro re publica scite mundum ponit, priorum nonnullos secutus (ut Ep. 68, 2 vel 14, 14). Ps.-Plutarchi igitur praeceptum, quo ut *βίος πολιτικός* coniungatur cum *θεωρητικῷ*, qui soli philosophiae est deditus, exigitur, ab omnium Stoicorum doctrina non abhorret. Tamen vitarum illa divisio, quam laudavi, Aristotelis distributioni cessit: Eth. Nic. 1095 b 19 tres *βίοι* sunt, *ὁ πρακτικός, ὁ θεωρητικός, ὁ ἀπολαυστικός* atque tertia forma utrimque simili modo repudiatur: Aristot. *οἱ μὲν οὖν πολλοὶ παντελῶς ἀνδραποδώδεις βοσκημάτων βίον προαιρούμενοι* — Ps.-Plut. *ὁ μὲν οὖν ἔκλυτος καὶ δοῦλος τῶν ἡδονῶν (βίος) ζῳώδης καὶ μικροπρεπής ἐστιν.* Sane vitarum aestimatio reliqua ab Aristotele vel potius nonnullis Peripateticis aliena esse videtur, quos vitam contemplativam, scientiis deditam plurimi fecisse notum est. Sed nihilosetius Peripati doctrina communes vitae res societatemque respicit: Stob. Ecl. II 125, 19 W. *παραμετρεῖσθαι . . . τὸν βίον ταῖς πολιτικαῖς καὶ ταῖς κοινωνικαῖς πράξεσι καὶ ταῖς θεωρητικαῖς. . . . οὐ . . . φίλαυτον εἶναι τὴν ἀρετὴν . . . ἀλλὰ κοινωνικὴν καὶ πολιτικήν;* ibid. 143, 24 *προαιρήσεσθαι μὲν γὰρ καὶ πράττειν καὶ θεωρεῖν τὰ καλά.* Ita apud eos quoque philosophos, quos Neopythagoreos vocamus, eandem vitarum aestimationem invenimus, quorum opiniones fortasse e Peripati doctrina ex parte fluxerunt: Iamblich. *Προτρ.* p. 119 A: optimus est *ὁ πλείστοις ὠφέλιμος ὤν (βίος);* Archytas ap. Stob. Ecl. II p. 230, 6 W. *δύο μὲν ὦν ἔντι βίοι ἀντίπαλοι . . . πρακτικός τε καὶ φιλόσοφος. πολὺ δὲ κάρρων δοκέει εἶμεν ὁ ἐξ ἀμφοτέρων κεκραμένος.* Similes sane iam veterum Pythagoreorum opiniones erant. In Ps.-Plutarchi autem iudicio nimium vitae publicae momentum — nam *ὁ θεωρητικὸς βίος* solus *ἀνωφελής* est — et a Stoicorum et a Peripati ratione alienum esse negari non potest: philosophiae omnino non respondere videtur. Talis opinio nescio an aut vulgaribus Graecorum opinionibus aut rhetorum vel sophistarum cogitationibus aptior sit. Eandem vere Stoicam non esse aliis quoque argumentis probatur. Stoicus enim auctor, si sibi proposuisset quaestionem *εἰ πολιτεύεται ὁ σοφός,* eam ita absolvisset, ut sapienti rem publicam capessendam esse demonstraret, quia et maxime vel solus idoneus esset[1]) et officia erga patriam et communem salutem praestanda postularent[2]); praeterea fortasse comprobasset uniuscuiusque commoda cum omnium salute artissime cohaerere[3]). Certe illud prae-

---

[1]) Ut Theon in thesi de hac re habita, Rhet. Gr. Sp. II 123; cf. Dyroff. l. l.

[2]) Ut Philo vel Epictetus; cf. Wendland, Philo u. d. kyn. — st. Diatr. p. 47.

[3]) Cf. Cicero De fin. III 64; Diog. Laert. VII 130; Epictet. II 10, 15; Zeller III 1, 286.

ceptum aliquo modo e ceteris Stoicorum placitis derivasset. Commemorandum praeterea est scriptorem optimae vitae exempla ostendere haec: Periclem, Archytam, Dionem, Epaminondam. Cum addat *ὧν ἅτερος*[1]) *Πλάτωνος ἐγένετο συνουσιαστής*, se illius philosophi opinionem sectari comprobat, cum philosophiam cum regenda re publica coniungit. Licet nobis quidem nihil inter illos commune esse videatur, tamen sine dubio scriptor se Platonis sectatorem esse putat. Quomodo de hac Platonis imitatione iudicandum sit, ex alio loco elucet: 11 E *ὅταν δ' αὖ πάλιν ἐνθυμηθῶ τὸν Σωκράτη, τὸν Πλάτωνα, τὸν Ξενοφῶντα, τὸν Αἰσχίνην, τὸν Κέβητα, τὸν πάντα χορὸν ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν, οἳ . . . τὰ μειράκια προήγαγον ἐπί τε παιδείαν καὶ τὴν ἀρετὴν τῶν τρόπων κ. τ. λ.* Quid ea verba in scriptoris tempore indagando valeant, postea quaerendum erit. Nunc eum Socraticis se dedicare perspicuum est; quare opiniones eius cum illis, i. e. praecipue Xenophonte comparari possunt, quia Platonem eodem loco quo ceteros habet, ex quo eum illius verae philosophiae rudem fere fuisse sequitur. Ut igitur Xenophontis sententia philosophia id maximum efficit, ut homines sapientia instituti rem publicam bene administrare discant[2]), sic Ps.-Plutarchus vitam activam philosophiae et virtutis studio carentem *ἄμουσον καὶ πλημμελῆ* appellat et potentiam gloriamque cum animi cultu morumque perfectione coniunctam summum bonum putat. Itaque non multum abest, quin eodem modo quo Xenophon sapientiae studium potentiae subsidium habeat; illius enim sententia sapientia ad vitam quam optime atque utilissime instituendam pertinet[3]). — Ut denique quid sentiam, breviter repetam: in vitarum aestimatione Ps.-Plutarchus philosophorum cogitationibus atque verbis utitur — nam et Peripatetica et Stoica inesse verisimile est — sed minime doctrinam ullam sectatur. Ceterum hoc loco plus quam reliquis de suo agere mihi quidem videtur, quod aliis locis eundem animum praebet.

---

[1]) Cum editoribus *ἅτερος* coniecturam dubitans recipio. Hercheri emendatio, qui ob concinnitatem laesam ea verba postea inserta esse existimat (Hermes XI 227), apud hunc quidem scriptorem gravi ratione caret. Cobeti coniectura *ὧν ἑκάτερος ⟨περὶ φιλοσοφίαν ἐσπούδασε καὶ ὁ μὲν Λύσιδος ὁ δ' ἕτερος⟩ Πλάτωνος ἐγένετο συνουσιαστής* supervacua est neque quadrat, quod illos philosophiae studuisse iam antea dictum est. An revera scriptorem, qua erat rerum inscitia, Epaminondae gloriam ad Platonis scholam revocasse putemus? Simili modo Hartmannus *ἑκάτερος* defendit atque rem ab auctore de industria fictam esse censet.

[2]) Cf. e. g. Mem. I 2, 48 . . . *καὶ οἴκῳ καὶ οἰκέταις καὶ φίλοις καὶ πόλει καὶ πολίταις* . . . *καλῶς χρῆσθαι.*

[3]) Cf. Mem. IV 1, 2 . . . *τῶν μαθημάτων πάντων, δι' ὧν ἔστιν οἰκίαν τε καλῶς οἰκεῖν καὶ πόλιν καὶ τὸ ὅλον ἀνθρωπίνοις πράγμασιν εὖ χρῆσθαι,* saepius.

Caput 10. Varia.

(De puerorum amore, de corporum exercitatione, de remissione laborum, ludis, certaminibus.)

Non alienum videtur alium hic locum addere, quo Ps.-Plutarchus se Socraticorum opiniones sequi profitetur, locum de puerorum amore dico (11 D—F). Comparari possunt, quae profert, cum Platonis et Xenophontis locis: Plato, Pol. 403 A *ὁ δὲ ὀρθὸς ἔρως πέφυκε κοσμίου τε καὶ καλοῦ σωφρόνως τε καὶ μουσικῶς ἐρᾶν*, vel 468 B, Leg. 836, ubi opponuntur *ὁ τοῦ σώματος καὶ τῆς ὥρας ἐρῶν* et *ὁ τῆς ψυχῆς ἐ.*; Xenophon Mem. IV 1, 2 *φανερὸς δ' ἦν (ὁ Σωκράτης) οὐ τῶν τὰ σώματα πρὸς ὥραν, ἀλλὰ τῶν τὰς ψυχὰς πρὸς ἀρετὴν εὖ πεφυκότων ἐφιέμενος*; eadem res copiose tractatur Conv. VIII 12 sq. Amoris puerilis genera scriptor ita fere enarrat aestimatque, ut Xenophon Reip. Lac. c. II 12: Boeotorum et Eleorum usum describit, Lycurgi autem ratio haec erat: *εἰ μέν τις αὐτὸς ὢν οἷον δεῖ ἀγασθεὶς ψυχὴν παιδὸς πειρῷτο ἄμεμπτον φίλον ἀποτελέσασθαι καὶ συνεῖναι, ἐπῄνει καὶ καλλίστην παιδείαν ταύτην ἐνόμιζεν. εἰ δέ τις παιδὸς σώματος ὀρεγόμενος φανείη, αἴσχιστον τοῦτο θείς κ. τ. λ.* Scriptor igitur ut Socraticorum exempla laudat, ita eorum opiniones revera sequitur. Quare non multum refert, quod cum Stoicis quoque in ea re fere consentit,[1]) neque quatenus illi Socraticos imitati sint, diiudicare possumus. Tamen a Stoico auctore quaestionem paulo aliter instituendam fuisse apparet; praeterea non tam aliorum opiniones plurimi faceret admirationeque commotus eas reciperet, quam praeceptum e rerum natura cum ratione derivaret eiusque utilitatem describeret.

8 C—D Ps.-Plutarchus de corporum exercitatione agit. Quam modicam et quae *εὐρυθμίαν* ac *ῥώμην* efficiat, commendat, imprimis armorum usum venationemque ad bellandi peritiam comparandam idoneam laudat. Has cogitationes magna ex parte de Platone pendere neminem fugit. Duo expetuntur fines: *εὐρυθμία* vel *εὐεξία (εὐταξία καὶ σωφροσύνη)* et *ῥώμη*. Plato duas disciplinas dividit *τῆς γυμναστικῆς, ὄρχησιν* et *πάλην*, quarum fines sunt: Leg. 795 E unius *εὐεξία, κάλλος τῶν μελῶν καὶ τῶν μερῶν, εὔρυθμος κίνησις*, alterius robur; ibid. 789 D *ὑγιεία, κάλλος, ῥώμη*. Sanitas bonaque valetudo hic quoque subaudiendae sunt, cum *εὐταξία* et *σωφροσύνη* senectuti provideant. In Platonis „custodum“ educatione (Pol. 404 sq.) exercitationes sunt: *ἀκοντισμός, τοξεία, θήρα* (cf. Leg. 794 B, 822 D etc.). Quam deinde sententiam laudat Ps.-Plutarchus *Τὰ*

---

[1]) Cf. Diog. L. VII 129 *καὶ ἐρασθήσεσθαί τε τὸν σοφὸν τῶν νέων τῶν ἐμφαινόντων διὰ τοῦ εἴδους τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυΐαν;* Stob. Ecl. II p. 115, 2 W. *δι' ὃ καὶ ἐρωτικὸν εἶναι τὸν σοφὸν καὶ ἐρασθήσεσθαι τῶν ἀξιεράστων, εὐγενῶν ὄντων καὶ εὐφυῶν.*

τῶν ἡττωμένων κ. τ. λ., e Xenophontis Cyrupaedia II 3, 2 hausta est, sed persimilis legitur apud Platon. Leg. 626 B; et Platonis praecipue in mentem nobis venit, cum belli armorumque usus scriptor tantam curam adhibet. Quae cura non minus cum Xenophontis opinionibus congruit[1]). Nimios in corporibus exercendis labores cavendum esse, ne animos offendant atque retundant, scriptor Platone auctore monet (Pol. 537 B, cf. ib. 410 D, Leg. 796 D). Corporum laboriosam exercitationem Aristoteles quoque reprehendit (Pol. 1336 a 25). Venationis vero laudem, quam Cynegeticus liber, qui sub Xenophontis nomine traditur, continet, comparare iam non oportet: inter maxima eius bona est, quod *τὰ . . . πρὸς τὸν πόλεμον μάλιστα παιδεύει* (Cyn. 12), ut supra memoravi. Sed in corporis exercitatione similes opiniones omnium fere philosophorum[2]), expressas an tacitas, fuisse facile intellegitur, quod veterum philosophiae corporis cultum plane neglegere non convenit. De Stoicis quidem testimonia exstant: Clemens Al. Paed. III. 10, 49 *μειρακίοις δὲ γυμνάσιον ἀπόχρη . . καὶ γὰρ καὶ ταῦτα . . ἔχοντά τι χρήσιμον τοῖς νέοις πρὸς ὑγίειαν, σπουδήν τε καὶ φιλοτιμίαν ἐντιθέντα, οὐχὶ εὐεξίας μόνον, ἀλλὰ καὶ εὐψυχίας ἐπιμελεῖσθαι, ὃ δὴ γινόμενον ἄνευ τοῦ τῶν κρειττόνων ἔργων ἀποσπᾶσθαι χαρίεν καὶ οὐκ ἀλυσιτελές.* Non est praetermittenda Platonis imitatio perspicua, ut videtur, quod corporis cultum modicum animo quoque prodesse (*εὐψυχία*) probatur. Sic Plato Pol. 410 D in corpore et animo excolendo mediam viam inter duo extrema vitanda tenere studet (*ἀγριότης καὶ σκληρότης* et *μαλακία καὶ ἡμερότης*, quae scilicet in animo sunt). Sic Ps.-Plutarchi quoque *εὐταξία* et *σωφροσύνη* non solum in corporis recto statu, sed in universa vivendi ratione sunt, quae animo definitur. De venandi utilitate ac fine compares in Stoicorum opinionibus Ciceronem De nat. deor. II 64, 161 *immanes et feras beluas nanciscimur venando, ut . . . exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae.* Seneca denique de tota re copiose praecipit[3]), quamquam saepius nimium corporis cultum reprehendit, quam suadet rectum, et in athletarum labores insanos invehitur, quibus omnis animi cultura deleatur. Cui consentit Galenus, *Προτρεπτ. ἐπὶ τ. τέχν.* c. 9 *σώματος δ' ἄσκησις ἀθλητικὴ ἀποτυγχανομένη μὲν αἰσχίστη, ἐπιτυγχανομένη δὲ τῶν*

---

[1]) Ioëlius, Der echte u. d. xen. S. II p. 50 sq. (18, 28) recte exposuisse videtur inter Xenophontis et Cynicorum venandi studium — nam illos quoque venationem magni fecisse constat (cf. Diog. L. VI 31) — aliquid interfuisse, quod hi morum cura permoti labores tolerari utile censebant, ille praeterea bellandi exercitationem respexit.

[2]) Cf. praeterea vulgarem sententiam: Ps.-Isocr. *Πρὸς Δημ.* 13: *ἄσκει τῶν περὶ τὸ σῶμα,* sed non *ῥώμης,* sed *ὑγιείας* causa.

[3]) Ut Ep. 8, 5; 15, 4 sq. al.

ἀλόγων ζῴων οὐδέπω κρείττων· τίς γὰρ λεόντων ἢ ἐλεφάντων ἀλκιμώτερος; τίς δ' ὠκύτερος λαγωοῦ; Dignum est, quod commemoretur, Ps.-Plutarchum eodem argumento in bonis enarrandis (5 E) ad corporis robur improbandum usum esse, contra hic, ubi locus ei rei maxime idoneus est, nihil contra nimium corporis cultum et athletarum labores declamare, sed solum Platonis dictum laudare. Qua re fortasse eum magis de veteribus, praecipue Platone hic pendere, quam recentiorum philosophorum, imprimis Stoicorum, rationem sequi comprobari potest. Nihilosetius Platonis imitationem Stoica via derivari posse consentaneum est.

Et in animi actionibus et in corporis laboribus cavendum est, ne nimia contentione et usu continuo vires elanguescant, remissio et laxamenta necessaria sunt (9 B—C). Quod praeceptum sine dubio vulgarius erat, quam ut cuiquam proprium assignari possit. Tamen fortasse similitudines quaedam comparatae prosunt. Seneca eandem rem non raro tangit, ut Ep. 15, 5 *labore modico alitur ille* (animus) vel 3, 6 *cum rerum natura delibera: illa dicet tibi et diem et noctem fecisse* — cf. Ps.-Plut. *οὐ μόνον ἐγρήγορσις ἀλλὰ καὶ ὕπνος εὑρέθη.* Idem tractat copiosius De tranquill. an. 17, 5: *danda est animis remissio: meliores acrioresque requieti surgent* — sequitur agrorum comparatio paulum aliter instituta quam Ps.-Plutarchi — *ita animorum impetus adsiduus labor franget . . .*; deinde remissionis iocique vicissitudines necessarias esse demonstrat, cum utraque res, et labor et languor, continua perniciosa sit, (6) *nam et somnus refectioni necessarius est . .* (7) *legum conditores festos instituerunt dies . . tamquan necessarium laboribus interponentes temperamentum* — cf. Ps.-Plut. *οὐδὲ ἐνεργοὶ πράξεις, ἀλλὰ καὶ ἑορταί;* (8) *indulgendum est animo dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit* — cf. Ps.-Plut. *ἡ ἀνάπαυσις τῶν πόνων ἐστὶν ἄρτυμα.* Non potest negari inter Ps.-Plutarchum et Senecam magnam similitudinem intercedere. Senecae autem locus accuratius fontis inquirendi occasionem praebet. Johannes de Arnim (Quellenstud. zu Philo v. Alex. p. 130) propter liberaliorem comioremque animum, quem „weitherzige Moral" appellat — audiamus enim Senecam l. l. 8 *nonnumquam et usque ad ebrietatem veniendum!* — illud caput mediae Stoae dat[1]). Nec aliis argumentis eam coniecturam non probari puto: non discrepant a tali opinione Posidonii vel Senecae verba De ira II 21, 6, ubi idem praeceptum educationi aptatum est: *dabimus aliquod laxamentum, in desidiam vero otiumque non resolvemus* et 20, 3 *lusus quoque proderunt; modica enim voluptas laxat animos et temperat.* Eodem

[1]) Athenodorum laudat, qui scripsit *περὶ σπουδῆς καὶ παιδιᾶς.*

modo Seneca De tranquill. an. 17, 4 rectam ludendi voluptatem defendit: *nec in eadem intentione aequaliter retinenda mens est, sed ad iocos devocanda . . .* (6) *nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, nisi naturalem quandam voluptatem haberet lusus iocusque.* De *naturali voluptate* conferas Sext. Empir. adv. math. XI, 73 *Παναίτιος δέ τινα μὲν* (int. *ἡδονήν φησι*) *κατὰ φύσιν ὑπάρχειν, τινὰ δὲ παρὰ φύσιν.* Quae cum ita sint, equidem tales cogitationes mediae potissimum Stoae convenire crediderim; cum Seneca autem Ps.-Plutarchus plus uno loco congruit. Ad hunc consensum accedit scriptor, quem ex eodem fonte haurire facile comprobari potest, Quintilianum dico. Cuius sententia est Inst. or. I 1, 20: *Nec sum adeo aetatum imprudens, ut instandum protinus teneris acerbe putem exigendamque plane operam. nam id in primis cavere oportebit, ne studia qui amare nondum potest, oderit . . . lusus hic sit: et rogetur et laudetur et numquam non fecisse se gaudeat, aliquando ipso nolente doceatur alius, cui invideat; contendat interim et saepius vincere se putet et praemiis etiam, quae capit illa aetas, evocetur.* Eadem enim animorum regendorum subsidia, quae puerorum cupiditatibus affectibusque natura insitis nituntur, Posidonius illo loco commendat, quo eum imprimis irrationales animi facultates sana consuetudine in rectum statum excolendas curare supra nobis visum est: Seneca De ir. II 21, 3 *adsurgit spiritus, si laudatur, et in spem sui bonam adducitur . . .* (5) *in certaminibus aequalium nec vinci illum patiamur, nec irasci. demus operam . . . ut in certamine adsuescat non nocere velle, sed vincere. quotiens superaverit et dignum aliquid laude fecerit, adtolli, non gestire patiamur.* Quintiliani igitur educandi doctrina hac quidem in re mediae Stoae optime respondet; ita alium quoque locum, ubi simili ratione laxamentum exigit, in eundem revocare fontem non est alienum: Inst. or. I 3, 8 *danda est tamen omnibus aliqua remissio, non solum quia nulla res est, quae perferre possit continuum laborem atque ea quoque, quae sensu et animo carent, ut servare vim suam possint, velut quiete alterna retenduntur* — cf. Ps.-Plut. *ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀψύχων* et exempla, quae sequuntur. Deinde: *sed quod studium discendi voluntate, quae cogi non potest, constat. Itaque et virium plus afferunt ad discendum renovati ac recentes et acriorem animum, qui fere necessitatibus repugnat.* (10) *Nec me offenderit lusus in pueris* e. q. s. In ludis vero iudicandis cum Seneca plane consentit: ibid. 10 *cum in hoc quoque (mens) maxime naturali aetatibus illis impetu iaceat.* Pergit deinde (11) *modus tamen sit remissionibus* ut Seneca De tr. an. 17, 6. Quae cum ita sint, Quintiliani, Senecae, Ps.-Plutarchi congruentiam e media Stoa derivandam esse verisimillimum est, in quam nonnulla nos certo deducant, reliqua optime quadrent.

Neque denique a Peripateticis huius capitis argumentum alienum est. Ps.-Plutarchum non solum re cum Aristotelis opinione consentire videmus (cf. Pol. 1337 b 29 de *σχολῇ, ἀσχολίᾳ, παιδιᾷ,* ibid. 38 *ὁ γὰρ πονῶν δεῖται τῆς ἀναπαύσεως, ἡ δὲ παιδιὰ χάριν ἀναπαύσεώς ἐστιν . . . διὸ δεῖ παιδιὰς εἰσάγεσθαι . . . φαρμακείας χάριν;* cf. praeterea Themistium or. 24, p. 301 D *πάντα, ὅσα . . . τῆς ἀσθενοῦς φύσεως μέτοχα, δυοῖν μάλιστα πάντων ἴσμεν δεόμενα, ἀναπαύλης τε τῶν ξυνεχῶν πόνων καὶ αὖ ἐπιμελείας κ. τ. λ.*), sed etiam verbis: Ps.-Plut. *ὅτι πᾶς ὁ βίος ἡμῶν εἰς ἄνεσιν καὶ σπουδὴν διῄρηται* — Aristot. Pol. 1333 a 30 *διῄρηται δὲ καὶ πᾶς ὁ βίος εἰς ἀσχολίαν καὶ εἰς σχολήν.* Praeterea comparari possunt: Ps.-Plut. *ψυχὴ τοῖς μὲν συμμέτροις αὔξεται πόνοις, τοῖς δ' ὑπερβάλλουσι βαπτίζεται* cum Aristot. Eth. Nic. 1104 a 11: in omnibus rebus, et in corpore et in animo, demonstrat *ὅτι τὰ τοιαῦτα πέφυκεν ὑπὸ ἐνδείας καὶ ὑπερβολῆς φθείρεσθαι . . . τά τε γὰρ ὑπερβάλλοντα γυμνάσια καὶ τὰ ἐλλείποντα φθείρει τὴν ἰσχύν . . . τὰ δὲ σύμμετρα καὶ ποιεῖ καὶ αὔξει καὶ σῴζει.* Quatenus haec similitudo Peripateticorum imitatione effecta sit, vix diiudicari potest. Certe mediae Stoae convenit, ut cum illis consentiat. Ita idem, quod supra nonnumquam evenit, verisimile videtur Ps.-Plutarchum Stoica et Peripatetica mixta praebere.

Caput 11. Subsidia educandi et virtutes.

Quoniam priore capite, ubi inter Senacam De ira II 21 et Quintilianum similitudo demonstranda erat, de laudis in educando vi dictum est, Ps.-Plutarchi de eadem re iudicium nunc videamus. Qui antequam remissionem explicat, de castigando, laudando, vituperando agit (9 A). Castigationem et contumeliosam obiurgationem (*αἰκισμός*)[1]) repudiat, quarum loco commendat *ἐπαίνους* et *ψόγους*; utraque autem res modice adhibenda est. Adicienda sunt praeterea, quae 12 C de magno momento exponit, quod habent *ἐλπίς τε τιμῆς καὶ φόβος τιμωρίας.* Ac primo reliquos scriptores comparemus, deinde, id quod supra probabile visum est, media Stoa quatenus sententiarum fons esse possit, inquiramus. Platonis sententia hac quoque in re non aliena est: Leg. 730 B *ὅσ' ἂν μὴ νόμος, ἀλλ' ἔπαινος παιδεύων καὶ ψόγος ἑκάστους εὐηνίους μᾶλλον καὶ εὐμενεῖς τοῖς τεθήσεσθαι μέλλουσι νόμοις ἀπεργάζεται*; ib. 829 C *ἐγκώμιά τε καὶ ψόγους ποιεῖν ἀλλήλοις . . . κατά τε τοὺς ἀγῶνας ἐν παντί τ' αὖ τῷ βίῳ* (cf. 823 D). Quamquam ille quidem caedi pueros patitur, sed monet ibid. 793 E *μὴ ἀτίμως, ἀλλ' ὅπερ ἐπὶ τῶν δούλων γ' ἐλέγομεν, τὸ*

---

[1]) Consentiunt Pythagorei: Iambl. De v. P. 101 *τὰς ἐπανορθώσεις τε καὶ νουθετήσεις . . . μετὰ πολλῆς εὐφημίας τε καὶ εὐλαβείας ᾤοντο δεῖν γίγνεσθαι . . καὶ πολὺ ἐμφαίνεσθαι ἐν τοῖς νουθετοῦσι τό κηδεμονικόν κ. τ. λ.*

μὴ μεθ' ὕβρεως κολάζοντας ὀργὴν ἐμποιεῖν. Honorem igitur ac pudorem puerorum etiam ille respicit. Sed talis laudis aestimatio sine dubio vulgarior erat itemque laudis et castigandi in educando vis a plerisque certo intellegebatur. Quare Peripateticos quoque scriptores similia praebere non multum refert; tamen apud illos laudis momentum, ut ita dicam, ratione philosophiae confirmatur: Stob. Ecl. II p. 122, 2 W. *ὥστε καὶ τὸν ἔπαινον εἶναι δι' αὑτὸν αἱρετόν. οἰκειοῦσθαι γὰρ ἡμᾶς πρὸς τοὺς ἐπαινοῦντας,* item *εὐδοξία,* quae est *ὁ παρὰ τῶν πολλῶν ἔπαινος.* Comparentur deinde Theophrasti duo loci: Plut. Agis c. 2 (fr. 143 Wim.) *νέῳ ἔτι ὄντι καὶ φιλοτίμῳ δοτέον ἀπὸ τῶν καλῶν ἔργων καὶ δόξῃ τι καλλωπίζεσθαι καὶ κομπάσαι. φυόμεναι γὰρ ἐν τοῖς τηλικούτοις αἱ ἀρεταὶ καὶ βλαστάνουσαι τό τε κατορθούμενον, ὥς φησι Θεόφραστος, ἐπιβεβαιοῦνται τοῖς ἐπαίνοις καὶ τὸ λοιπὸν αὔξονται μετὰ φρονήματος ἐπαιρόμεναι· τὸ δὲ ἄγαν πανταχοῦ . . . ἐπισφαλές κ. τ. λ.* et ap. Stob. Ecl. IV p. 23, 18 *Θ. ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος, τί συνέχει τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον, ἔφη· „εὐεργεσία καὶ τιμὴ καὶ τιμωρία."* Nonne Ps.-Plutarchus plane consentit, cuius sententia (12 C) *τιμή* et *τιμωρία* maximam vim habeant? Quae cum ita sint, Chrysippi verba ap. Alex. Aphrod. de fato c. 27 p. 88: *οὐκ ἄχρηστοι οὐδὲ μάτην οὔτε οἱ ἔπαινοι οὔτε οἱ ψόγοι οὔτε αἱ πρὸς βελτίω προτροπαί κ. τ. λ.* iam non multum valent; revera enim laudem et hominum aestimationem, quae erat eius philosophia moralis, ut alio loco supra demonstratum est, ne minimi quidem fecit. Contra mediae Stoae est idem censere quod Peripatetici, ut Cicero De fin. III 57 tradit: *esse hominis ingenui et liberaliter educati velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris.* Quo loco differentia, quae inter Chrysippum et posteros Stoicos intercessit, illustratur. Audiamus deinde Senecae verba e Posidonii sententia hausta De ira II 21, 5 *quotiens superaverit et dignum aliquid laude fecerit, adtolli, non gestire patiamur . . exsultationem tumor et nimia aestimatio sui sequitur* cum Ps.-Plut. *δεῖ δὲ αὐτοὺς μηδὲ τοῖς ἐγκωμίοις ἐπαίρειν καὶ φυσᾶν· χαυνοῦνται γὰρ ταῖς ὑπερβολαῖς τῶν ἐπαίνων καὶ θρύπτονται.* Addantur Theophrasti verba, quae supra laudavi: *αὔξονται μετὰ φρονήματος ἐπαιρόμενοι.* Praeterea: Seneca *sic itaque inter utrumque regendus est, ut modo frenis utamur modo stimulis* — Ps.-Plut. *δεῖ δὲ ἐναλλὰξ καὶ ποικίλως χρῆσθαι ταῖς ἐπιπλήξεσι καὶ τοῖς ἐπαίνοις*[1]). Atque iterum denique Quintilianum in consensum vocare licet, qui compluribus locis de aemulationis, ambitionis, laudis momento copiose disserit, ut Inst. or. I 2, 16—31

---

[1]) Eandem mediocritatem scriptor respicere videtur 9 B *ἤδη δέ τινας ἐγὼ εἶδον πατέρας, οἷς τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη;* qui locus simillimus est Theophrasti verbis aqud Plut. Cato min. 777 *κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν, ὥς φησι Θ., αἴτιον τοῦ μὴ φιλεῖν γίνεσθαι.*

(22 *excitabitur laude aemulatio, turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse maiores etc.*) vel I 3, 6 *mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuvet, qui victus fleat. hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit.* Non alienum videtur hoc loco scriptorem addere, quem mediae saepe Stoae vestigia sequi constat, Clementem Alex. dico: Paed. I 8, 64 *θεραπεύεται πολλὰ τῶν παθῶν τιμωρίᾳ καὶ προστάξει αὐστηροτέρων παραγγελμάτων . . φαρμακίᾳ δὲ ἔοικεν ὁ ὀνειδισμός . .* (96) *εὐνοίας δὲ τὸ ψέγειν, οὐ μίσους σύμβολον;* idem I 9, 75 copiose quibus rebus *ὁ θεῖος λόγος* in educando utatur, exponit: *νουθετῶν, ἐπιτιμῶν, ἐπιπλήττων, ἐλέγχων, ἀπειλούμενος, ἰώμενος, ἐπαγγελλόμενος,* deinde *ψόγου* genera enarrantur; qui sponte sua obsequuntur, *αὔξονται τῷ ἐπαίνῳ* (ibid. 9, 94) . . . *φημὶ δ' οὖν ἔπαινον ἢ ψόγον . . . ἀναγκαιότατα φάρμακα.* Ut igitur hanc laudis et vituperationis aestimationem non Chrysippi, sed mediae Stoae propriam esse verisimillimum videtur, ita castigandi improbationem, quae cum his rebus artissime cohaeret, contra Chrysippi opinionem de industria fortasse factam esse facile comprobari potest. Quintilianus nobis ansam iudicandi praebet: I 3, 14 *caedi vero discentis, quamlibet et receptum sit et Chrysippus non improbet, minime velim.* Conferas nunc quaeso: Quintil. l. l. *primum quia deforme atque servile est et certe — quod convenit, si aetatem mutes — iniuria; deinde quod si cui tam est mens inliberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas ut pessima quoque mancipia durabitur* et Ps.-Plut.: *δοκεῖ γάρ που τοῖς δούλοις ταῦτα μᾶλλον ἢ τοῖς ἐλευθέροις πρέπειν. ἀποναρκῶσι γὰρ καὶ φρίττουσι πρὸς τοὺς πόνους, τὰ μὲν διὰ τὰς ἀλγηδόνας τῶν πληγῶν, τὰ δὲ καὶ διὰ τὰς ὕβρεις.* Respondent inter se: *servile — δούλοις, inliberalis — ἐλευθέροις, ἀποναρκῶσι καὶ φρίττουσι — durabitur, ὕβρις — iniuria* (cf. 7 E *δούλους μὴ περιυβρίζειν* = servos non cum iniuria punire[1]). Ut cuius animi sit talis praecepti auctor, intellegamus, legamus Senecam De ira II 21, 4 *nihil humile, nihil servile patiatur:* quid autem servilius puer pati potest quam verbera? Quare mihi quidem probabilissimum est Ps.-Plutarchum et Quintilianum ex eodem fonte, quamquam non de uno auctore pendere. Quem fontem mediam Stoam esse et re ipsa et eorum, quae supra exposita sunt, conexu comprobatur[2]). Itaque alia

[1]) Quintilianus Inst. or. I 3, 17 conqueritur: *in quae probra nefandi homines isto caedendi iure abutantur.* Non alienum est conicere Ps.-Plutarchum eiusdem fere aetatis in caedendo licentiam reprehendere, qui conclamet *μὴ μὰ Δία πληγαῖς μηδ' αἰκισμοῖς κ. τ. λ.*; cf. Lucian. Nigrin. 27 (*ἄλλοι δὲ μαστιγοῦντες κ. τ. λ.*).

[2]) Sententiam congruentem Varro praebet, Catus de l. ed. fr. XXII Riese: *remotissimum ad discendum formido ac nimius timor et omnis perturbatio animi; contra delectatio protelat ad discendum.* Ingenium igitur de animo ac voluntate pendet.

quoque educandi subsidia, quae castigatione repudiata una cum laude ac vituperando commendantur, eidem philosophiae attribuere non erit alienum. Praeterea accedunt, quae rem etiam verisimiliorem reddant. Ps.-Plutarchus 9 A monet *δεῖν τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ καλὰ . . ἄγειν παραινέσεσι καὶ λόγοις;* illud *λόγοις* varia complectitur, insunt et ea, quae exponuntur 12 C: patres adulescentium mores regere oportet *διδάσκοντας, ἀπειλοῦντας, δεομένους, παραδείγματα δεικνύντας τῶν διὰ φιληδονίαν μὲν συμφοραῖς περιπεσόντων, διά τε καρτερίαν ἔπαινον καὶ δόξαν ἀγαθὴν περιποιησαμένων.* Quem locum, cum iterum laus ac bona fama maxime ad agendum impellant, cum superioribus coniungendum esse consentaneum est. Scriptor igitur, ut repetam, patribus commendat: suadere ac monere (*παραίνεσις*), instruere ac docere (*διδάσκειν*), minari (*ἀπειλεῖν*), rogare (*δεῖσθαι*), exempla depingere, ne multa, omnibus dicendi subsidiis (*λόγοι*) uti. Iam ut non raro in rem incidimus, quae in omnibus educandi doctrinis versari debebat: quis enim non praeceperit, ut pueris suadeatur, ut moneantur, ut exempla eis imitationis causa proponantur? In omnibus philosophis praeceptum valet: Plut. De aud. p. 20 C *οἱ γοῦν φιλόσοφοι παραδείγμασι χρῶνται, νουθετοῦντες καὶ παιδεύοντες ἐξ ὑποκειμένων* vel De aud. 39 A *ἂν δέ τις αὐτοὺς* (int. *νεανίας*) *διδάσκῃ τι τῶν χρησίμων ἢ παραινῇ τῶν δεόντων ἢ νουθετῇ πλημμελοῦντας ἢ καταπραΰνῃ χαλεπαίνοντας.* Consentiunt philosophorum iudicia; ut eorum principem afferam. Plato censet Pol. 390 D . . . *εἴ πού τινες . . . καρτερίαι . . . καὶ λέγονται καὶ πράττονται ὑπὸ ἐλλογίμων ἀνδρῶν. . . . θεατέον καὶ ἀκουστέον*, et tota illa fabularum atque artis poeticae tractatio id spectat, ut exempla proponantur imitationi bona. Alios locos in re satis cognita proferre longum est; id unum repetamus, quod supra allatum est, Chrysippum quoque suadendi et monendi momentum non praetermisisse (l. l. *αἱ πρὸς βελτίω προτροπαί*). Tamen eam rem in media Stoa multo pluris factam esse verisimile est, si quae Clemens Alex. quamque copiose tractet, animadvertimus: Paed. I 1, 2 *ἠθοποιία . . . τῶν πεπλανημένων πρότερον τοῖς ὕστερον ἐπιδεικνὺς τὰς εἰκόνας*; cuius partes sunt *παραινετικός (εἰς ὑπακοήν)* et *τὸ ἐν εἰκόνος μέρει παραλαμβανόμενον* (aut *ἵνα μιμώμεθα* aut *ὅπως ἐκτρεπώμεθα*); I 10, 90 *τῆς δὲ συμβουλίας μέρη τρία:* (1) *ἐκ τῶν παρεληλυθότων χρόνων λαμβάνον τὰ παραδείγματα, οἷον τί ἔπαθον κ. τ. λ.*, (2) *ἐκ τῶν παρόντων χρόνων . .*, (3) *ἐκ τῶν μελλόντων . . ᾧ τὰ ἀποβησόμενα κελεύει φυλάττεσθαι;* toto capite 8. exemplorum vis tractatur. Atque hic paulo accuratius de ea re agendum est: non enim modo in educando admonitio et praecepta valent, sed omnis morum institutionis eiusque moralis philosophiae partis sunt, quae praeceptiva (*παραινετική*) vocari solebat. De hac parte quamquam Stoici omnes fere conspirabant, tamen differentiam apud eos exstitisse constat:

Aristo enim *levem* eam esse ratus (Seneca Ep. 94, 2) abiecit. Contra quem Seneca Ep. 94 et 95 comprobare studet eam utilem, etiam necessariam esse. Senecam autem in Aristonis argumentis refellendis imprimis Posidonium auctorem adhibere facile est intellectu, quem Ep. 94, 38 ita laudet: *in hac re dissentio a Posidonio* — in ceteris ergo, adiciamus, consentio. Praeterea eum ib. 95, 65 laudat. Ex hoc loco illum philosophum partem praeceptivam permagni putasse ac diligenter elimasse elucet: *Posidonius non tantum praeceptionem . . . sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem nesessariam iudicat. his adicit causarum inquisitionem, etymologiam . . . ait utilem futuram et descriptionem cuiusque virtutis: hanc Posidonius ethologiam vocat, quidam characterismon, signa cuiusque virtutis ac vitii et notas reddentem . . . descriptiones has et . . . iconismos ex usu esse confiteor;* ibid. 72 (nempe ex eiusdem sententia): *proderit non tantum quales esse soleant boni viri dicere . . . sed quales fuerint narrare,* (sequuntur exempla Catonis, Laeli, Scipionis). Quem inter Clementis *ἠθοποιίαν* et *εἰκόνας* atque Posidonii ethologiam et iconismos maximam similitudinem interesse fugit? Verisimile igitur est Clementis sententias aut ipsi Posidonio deberi aut e media Stoa fluxisse. Quoniam autem illa puniendi, monendi, laudandi quaestio una atque continua est, Ps.-Plutarchum, Quintilianum, Senecam, Clementem magna ex parte congruere et de media Stoa pendere compluribus argumentis probatum esse mihi quidem videtur.

De educandi subsidiis satis dictum est; nunc quae virtutes imprimis efficiendae sint, breviter disseramus. Quas scriptor confuse enarrat (10 B—11 C) exemplisque illustrat. Ac primum *αἰσχρολογίαν* vituperat: pueri a conviciis et contumeliis, ab impudicitia dicendi arcendi sunt. Philosophorum commune praeceptum est: ut ait Plato, Pol. 395 E, non licet pueros imitari *ἄνδρας κακηγοροῦντάς τε καὶ κωμῳδοῦντας καὶ αἰσχρολογοῦντας;* Aristot. Pol. 1336 b 2 *εὔλογον οὖν ἀπελαύνειν ἀπὸ τῶν ἀκουσμάτων καὶ τῶν ὁραμάτων ἀνελευθερίας . . . ὅλον μὲν οὖν αἰσχρολογίαν δεῖ ἐξορίζειν. ἐκ γὰρ τοῦ εὐχερῶς λέγειν ὁτιοῦν τῶν αἰσχρῶν γίγνεται καὶ τὸ ποιεῖν σύνεγγυς.* Quibus verbis huius scriptoris sententia, quam e Democrito affert, explicatur: *λόγος γὰρ ἔργου σκιή.* Deinde apud posterioris aetatis Stoicos: Clemens Al. Paed. II 6, 49—52 reprehendit *τὸ λέγειν, τὴν ἀκοήν, τὴν θέαν τῶν αἰσχρῶν* et cum Aristotele consentit: (52) *τὸ γὰρ ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἀτακτεῖν μελέτην ἐμποιεῖ τοῦ καὶ εἰς τὰ ἔργα ἀκοσμεῖν;* Iuvenalis sat. 14, 44 *nihil dictu foedum visuque haec limina tangat, intra quae pater est;* Tacitus, Dial. c. 28 *coram qua* (subole) *neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur.* De veteribus contra Stoicis nihil certi contenderim; nam

illos nimis a turpiloquio abhorruisse non est verisimile, qua erant in talibus rebus socordia (cf. Cic. Ep. ad fam. IX 22, 1 *sic enim disserunt nihil esse opscenum, nihil turpe dictu* et De offic. I 128 *Cynici aut si qui fuerunt Stoici paene cynici* e. q. s.) Certe posteriorum Stoicorum elegantiae magis convenit tale praeceptum, apud quos modestia ac decor plurimi fiebant. Eiusdem humanitatis cultioris, ut ita dicam, praeceptum sequens est, quo pueros amabiles et affabiles in communi vitae usu esse scriptor vult (*ἐντευκτικοὺς καὶ φιλοπροσηγόρους*). Conferantur[1]): Seneca De ira II 21, 5 *demus operam, ut familiaris sit (puer) iis, cum quibus contendere solet;* Cicero De offic. II 14, 28 *difficile dictu est, quantopere conciliet animos comitas adfabilitasque sermonis;* Aristoteles Eth. Nic. IV 11—12 de virtutibus agit, quae imprimis conversando cum hominibus apparent; Theophrastus *Χαρακτ.* XV *αὐθάδειαν* describit, i. e. eius animum qui neminem respicit et cum omnibus litigat; Iamblichus saepius eam rem tangit, ut De v. Pyth. 95 (*ἡμερότης* et *πρᾳότης*), 100 (contra *φιλονεικίαν*), 188 ad *σωφροσύνην* efficiendam necessaria est: . . . *πρὸς τοὺς ὁμήλικας ἄπλαστος ὁμοιότης καὶ φιλοφροσύνη.* Facile intellegitur illam comitatem Peripateticae *σωφροσύνης* magnam partem fuisse neque minoris in media Stoa factam esse. In contentionibus atque certaminibus Ps.-Plutarchus postulat, ut pueri nonnumquam possint vinci aliisque cedere[2]). Quantopere Seneca De ira II 21 Posidonio auctore puerorum aemulationis, certaminum, vincendi studii rationem habeat, iam supra dictum est. Eiusmodi praecepta illius psychologiae sunt, quae cupiditates hominis insitas non funditus exstinguit, sed coercere atque regere studet. — Quae deinde enarrantur (10 B) *βίον ἀτύφωτον ἀσκεῖν, τὴν γλῶτταν κατέχειν, τῆς ὀργῆς ὑπεράνω γίγνεσθαι, τῶν χειρῶν κρατεῖν*[3]), complecti possumus ea virtute, quam nos dominationem sui, i. e. affectuum et libidinum dicimus. Ac de prima virtute accuratius exponere scriptor oblitus est. *Τῦφος*, quem exstirpare vult, ubique repudiatur (cf. e. g. Plutarch. De aud. 39 D *τῦφος, ὄγκος, φύσημα*). De ira cohibenda exempla afferuntur Socrates, Archytas, Plato. Atque illum quidem contumelias plane contempsisse et revera *ἀόργητον* fuisse demonstratur. Tamen id solum scriptor expetere videtur (10 D fin.): *πειρατέον οὖν εἰς ὅσον οἷόν τ' ἐστὶν . . τὸ πολὺ τῆς ἀκρατοῦς καὶ μαινομένης ὑφαιρεῖν ὀργῆς.*

---

[1]) Quae res sane vulgaribus opinionibus similis est: Ps.-Isocr. *Πρὸς Δημ.* 15 *μὴ σκυθρωπός, ἀλλὰ σύννους*, 20 *φιλοπροσήγορος, εὐπροσήγορος* . . ., 30 *πρὸς τοὺς πλησιάζοντας ὁμιλητικός*, 31 ne sis *δύσερις, δυσάρεστος κ. τ. λ.*

[2]) Cf. et Xenophontis Cyrup. I 4, 4 . . *ἡττώμενος δ' αὐτὸς ἐφ' ἑαυτῷ μάλιστα ἐγέλα.*

[3]) Simili ratione coniunguntur a Ps.-Isocrate *Πρὸς Δημ.* 21 *ἐγκράτεια κέρδους, ὀργῆς, ἡδονῆς, λύπης.*

Exempla enim Platonis et Archytae nihil monent, nisi ut, qui irascitur, iram devoret neve ultioni studeat puniatque; uterque irascitur et valde, cum Archytas dicat *ᾤμωξας ἄν, εἰ μὴ λίαν ὠργιζόμην* et Plato *ἐγὼ γὰρ πάνυ θυμοῦμαι.* Archytae exemplum etiam ab Iamblicho De v. Pyth. 197 inducitur idque his verbis: *λέγεται δὲ καὶ τάδε περὶ τῶν Πυθαγορείων, ὡς οὔτε οἰκέτην ἐκόλασεν οὐδεὶς αὐτῶν ὑπὸ ὀργῆς ἐχόμενος οὔτε τῶν ἐλευθέρων ἐνουθέτησέ τινα,* (cf. ibid. 101 *εἴκειν καὶ κρατεῖν ὀργῆς*). Dubium igitur non est, quin illis exemplis non *ἀοργησίας* praeceptum illustretur, sed id moneatur, ut qui nimis irascitur, is castigando abstineat. Ita Theophrastus quoque praecepit, fr. 154 Wim. *οὐ μὴν οὐδὲ μετ' ὀργῆς πρακτέον τοῖς φρονίμοις οὐδέν . . ὥστε δεῖ μήτε ἐξ ὑπογυίου τῶν ἁμαρτημάτων τὰς τιμωρίας μήτε παρὰ τῶν οἰκετῶν μήτε παρὰ τῶν ἄλλων λαμβάνειν κ. τ. λ.* Neque a Peripati ratione alienum est, si scriptor monet *τὸ πολὺ τῆς ἀκρατοῦς καὶ μαινομένης ὑφαιρεῖν ὀργῆς*, i. e. rectam in irascendo moderationem appetere. Apud Iamblichum l. l. continentia irae et in puniendo et in dicendo laudatur, item a Ps.-Plutarcho adicitur *τὴν γλῶσσαν κατέχειν.* Quae virtus praecipue Pythagorica est: Iamblich. De v. Pyth. 195 *τὰ περὶ τῆς σιωπῆς . . παραγγέλματα, φέροντα εἰς σωφροσύνης ἄσκησιν, πάντων γὰρ χαλεπώτατόν ἐστιν ἐγκρατευμάτων τὸ γλώσσης κρατεῖν.* Similitudo vero accedit plenior: Ps.-Plutarchus 9 F *καὶ διὰ τοῦτό μοι δοκεῖ τὰς μυστηριώδεις τελετὰς οἱ παλαιοὶ κατέδειξαν κ. τ. λ.* et Iamblichus l. l. 72 . . *τὸ γλώσσης κρατεῖν, καθὰ καὶ ὑπὸ τῶν τὰ μυστήρια νομοθετησάντων ἐμφαίνεται ἡμῖν.* Modesta taciturnitas a Platone quoque permagni aestimata est (Pol. 425 A et Stob. Ecl. II p. 212, 16). Comparemus praeterea Clementem, qui Paed. II 7, 58—59 *φλυαρίαν* vituperat: *οὔτε γὰρ μακρολογητέον ποτὲ οὔτε πολυλογητέον οὔτε ἀδολεσχητέον . . . τῶν γοῦν φλυάρων . . . μόνη ἡ γλῶττα περιλείπεται εἰς βλάβην.* — In prima denique virtute, quae in argenti cupiditate opprimenda sita est, animadvertatur Ps.-Plutarchum tantummodo bonam famam respicere (10 B *τὴν δόξαν τῶν προβεβιωμένων ἐξέχεαν*), sicut Ps.-Isocratem *Πρὸς Δημ.* 21, ubi probantur *κέρδη, δι' ὧν εὐδοκιμήσεις, ἀλλὰ μὴ δι' ὧν εὐπορήσεις:* res vulgaris vulgari ratione tractatur. Sed praeceptum a philosophia non alienum est, cf. Iamblichi *Προτρεπτ.* 120 A . . . *ἐγκρατέστατόν γε δεῖ εἶναι . . . τοιοῦτος δ' ἂν μάλιστα, εἴ τις τῶν χρημάτων κρείσσων εἴη.* — In fine capitis exigitur, ut pueri semper veritatis diligentes sint, cum mentiri ne servos quidem mediocres deceat; veritas *τὸ ἱεροπρεπέστατόν ἐστιν.* Consimiliter Plato scripsit Leg. 730 C *ἀλήθεια δὲ πάντων ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις. ἧς ὁ γενήσεσθαι μέλλων μακάριός τε καὶ εὐδαίμων ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς μέτοχος εἴη*; cf. praeterea Iamblich. *Προτρ.* 114 A *τὸ γὰρ ἀληθεύειν . . . ἡγεῖται . . . πάντων τῶν ἀγαθῶν*; Pythag. apud Stob.

Ecl. III p. 442, 15 H: *Π. ἐρωτηθεὶς τί ποιοῦσιν ἄνθρωποι θεοῖς ὅμοιον, ἔφη „ἐὰν ἀληθεύωσιν“*. Nec deest philosophus Peripateticus, Themistius ap. Stob. Ecl. III p. 448, 1 H.: *οὐδεμία γὰρ μοχθηρία μᾶλλον δυσκοινώνητος ἀπιστίας*. Apparet eum veritatem in earum virtutum numero habere, quae in hominum commercio maxime praestandae sunt, quia *ἀπιστία*, quae mutuae fidei est contraria, omnem consuetudinem perdit; quas virtutes imprimis a Peripateticis excultas esse supra exposuimus. Quam ob rem facile intellegitur, cur Ps.-Plutarchus hoc loco illud praeceptum inserat: totius capitis virtutes in hominum societate atque conversandi usu sunt. Quae cum ita sint, perspicuum mihi esse videtur has virtutes, quae minime sunt principales et sapientiae maxime convenientes, ad unum tendere: *ἐγκράτεια* et *σωφροσύνη* illustrantur, quae non tam in animo, nedum in mente ac ratione hominis sunt, quam ad modum erga alteros se gerendi pertinent. Quae virtutes ab Aristotele copiose tractatae sunt; singulis locis Peripateticorum et Pythagoreorum similitudines comparare difficile non erat. Quare talem virtutum notionem Peripateticae rationi, quae ad communes hominum opiniones propius accedat, maxime convenire crediderim.

Caput 12. De discendo.

Ps.-Plutarchus 9 E—F sine ulla ordinis ratione, ut supra expositum est, de memoria excolenda agit: et omnis litterarum institutionis fundamentum est et in moribus prodest, cum sit *εὐβουλία*. Non alienum est Pythagoreorum, quorum, cum de memoria legimus, in mentem nobis venit, praecepta comparare: Iamblichus De v. Pyth. 164 *ἐτίμων γοῦν σφόδρα τὴν μνήμην καὶ πολλὴν αὐτῆς ἐποιοῦντο γυμνασίαν τε καὶ ἐπιμέλειαν* . . . ibid. 166 *οὐδὲν γὰρ μεῖζον πρὸς ἐπιστήμην καὶ ἐμπειρίαν καὶ φρόνησιν τοῦ δύνασθαι μνημονεύειν; εὐβουλία* autem est (256) *μηδ᾽ ἀπροβούλευτον μηδ᾽ ἀνυπεύθυνον μηδὲν ποιεῖν κ. τ. λ.* Ceterum memoriae tractatio ac laus vulgaris est[1]).

De discendo scriptor praeterea uno solo loco praecipit: 8 B *συλλογὴν τῶν παλαιῶν συγγραμμάτων* fieri oportere censet, cum librorum lectio *ὄργανον τῆς παιδείας* sit. Quid igitur pueri e libris discant? Scriptor imprimis veterum auctorum studium poscit: *ἀπὸ πηγῆς τὴν ἐπιστήμην τηρεῖν συμβέβηκεν*. Quamquam haec scriptoris verba tantummodo praeceptum in omni eruditione vulgare facile continere possunt, ex quo de philosophia concludere non liceat, tamen non tam late ea patere existimo, ut ea, quae erant ubique apud antiquos in puerili institutione, significentur, ut Lucianus exprimit Anach. 22 *σοφῶν ἀνδρῶν γνώμας*

1) Cf. Ps.-Isocrat. *Πρὸς Δημ.* 34 de *εὐβουλία*.

καὶ ἔργα παλαιὰ καὶ λόγους ὠφελίμους ἐν μέτροις κατακοσμήσαντες . . . ῥαψῳδοῦμεν αὐτοῖς[1]). Nam *συγγράμματα παλαιά, χρῆσις τῶν βιβλίων, ἐπιστήμη* meo quidem iudicio sapientiae i. e. philosophiae studium spectant.

Quare talis praecepti origo fortasse apud illos philosophos quaerenda est, qui aliarum doctrinarum rationem habebant atque in eis cognoscendis operam navabant. Quos imprimis Peripateticos, deinde non minus mediae Stoae sectatores fuisse, non est, quod explicem probemque. Qua re factum est, ut praeter sectarum doctrinas sapientia ipsa atque veritas laudarentur. Ceterum Ps.-Plutarchi praeceptum vulgare philosophorum sententias accuratius comparandi ansam non praebet. Quare Chrysippo id attribuendum esse, neque cur contendamus neque cur negemus, habemus.

Reliquum est, ut verba *κατὰ τὸ γεωργῶδες,* quae obscura sunt, explicentur. Quomodo instrumentis quibusdam in agricultura opus est, ut fructus fiant, sic in scientiis ac sapientia veterum cogitata recipienda iisque ad nova investiganda utendum est. Eandem rem Seneca aliter exprimit Ep. 84, 6 *idem in his, quibus aluntur ingenia, praestamus, ut quaecumque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint. concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium.*

Quoniam paulo ante de vetere philosophia quaesitum est, nunc de uno philosopho accuratius disserendi locus est, quem Ps.-Plutarchus adamavisse videtur, cuius decem dicta 12 D—F laudet atque explanet, Pythagoram dico. Ante omnia animadvertamus, qua ratione scriptor ea dicta proferat: primum rei, quam probare vult, respondet, cetera autem adduntur, quoniam *πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν συμβάλλεται ῥοπὴν οὐκ ἐλαχίστην.* Sunt ergo intercalaria neque ad totius libelli dispositionem satis apte quadrant. Concludere possumus scriptorem e fonte aliquo Pythagorico vel quo illa praecepta Pythagoreorum explicabantur, haurire. Atque eum non tam sua proferre, quam Pythagorica dicta explicata recipere ex eo maxime apparet, quod explicatio dicti „*κυάμων ἀπέχεσθαι*“: *ὅτι οὐ δεῖ πολιτεύεσθαι* ipsius opinioni, quam exposuit 7 F—8 A, contraria est. Si igitur eum auctorem aliquem sequi probabile est, unde habeat scriptor atque cur libello inserat dicta Phythagorica, quaerendum videtur. Quae fuerint Pythagoreorum aenigmata, ex Iamblichi verbis De v. Pyth. 82 discimus: *ἀκούσματα ἀναπόδεικτα καὶ ἄνευ λόγου, ὅτι οὕτως πρακτέον* . . . aut *τί πρακτέον.* Quae ratio intercedat inter omnes scriptores, qui talia aenigmata praebent, hic non est disserendum; id unum cer-

[1]) Cf. etiam Xenophont. Mem. I 6 14 (Socrates:) . . . *τοὺς θησαυροὺς τῶν πάλαι σοφῶν ἀνδρῶν, οὓς ἐκεῖνοι κατέλιπον ἐν βιβλίοις γράψαντες, ἀνελίττων κοινῇ σὺν τοῖς φίλοις διέρχομαι,* et Stoicorum sententias, Quintil. Inst. or. I 1, 36 Phil. De sacrif. Ab. et Caini 78, I 234 W.

tum est in eiusmodi dictis tradendis atque explicandis imprimis Peripateticos operam navasse[1]). Sed item ac saepius praeter illos de media quoque Stoa res valet. Atque iterum ut Posidonii in ea re opinionem ipsam indagemus, contingit. Quem Pythagorae maxime studiosum fuisse facile comprobatur (Galen. de Hipp. et. Pl. d. p. 478 K., 425). Pythagoreorum scripta eum excussisse Galenus tradit l. l. p. 478: *Ποσειδώνιος δὲ καὶ Πυθαγόραν φησίν, αὐτοῦ μὲν τοῦ Πυθαγόρου συγγράμματος οὐδενὸς εἰς ἡμᾶς διασῳζομένου, τεκμαιρόμενος δ' ἐξ ὧν ἔνιοι τῶν μαθητῶν αὐτοῦ γεγράφασιν.* Sed eum non solum in Pythagorae placitis cognoscendis operam dedisse, verum etiam ipsum in educatione praecepta Pythagoricorum *αἰνιγμάτων,* quae philosophiae moralis parti praeceptivae respondent, more composita adamavisse demonstrari potest. Seneca enim Ep. 94, 38 *dissentio* inquit *a Posidonio, qui pro eo, quod Platonis legibus adiecta principia sunt, «legem», inquit, «brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit: iubeat, non disputet. nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius quam lex prologumene: dic, quid me velis fecisse, non disco, sed pareo».* Inter has Posidonii leges et aenigmata illa summam similitudinem intercedere verbis comparatis probetur: Iamblichus l. l. 82 . . *ἀκούσματα . . καὶ τἄλλα, ὅσα παρ' ἐκείνου ἐρρήθη, ταῦτα πειρῶνται διαφυλάττειν ὡς θεῖα δόγματα* Posidonius: — *velut emissa divinitus vox sit.* Quibus ea praecepta destinabantur, qui non e schola erant, sed extra degentes, *ἀκουσματικοί* appellabantur, Posidonii *imperitis* respondent. Eas opiniones ad educationem quoque pertinere ex Iamblichi praeceptis concludatur, quae de educando profert in ep. ad Sopatr. data ap. Stob. Ecl. II p. 234, 24 W.: *μετὰ δὲ ταῦτα προστάγματά τινα νουθετητικά, μικρὰ μὲν ὄντα τοῖς ῥήμασι, μεγάλην δέ τινα δύναμιν τοῖς τηλικούτοις παρεχόμενα, οἷον τὸ „δεῖ" καί ποτε „οὐ δεῖ" καὶ τὸ „μέχρι πόσου" κ. τ. λ. . . συμμετρίαν αὐτοῖς ἐναρμόζει τὴν πρὸς ἀλλότριον λόγον συνταττομένην, οἷον τοῦ νομοθέτου καὶ διδασκάλου*[2]). Praecepta igitur magistri et leges id commune habent, ut breviter, sine causarum explicatione ac rei comprobatione iubeant aut vetent. Posidonium denique aeque atque Iamblichum ad educandum praecepta brevia commendasse e partis praeceptivae tractatione, quam

---

[1]) Cf. Rohde, Über d. Quellen d. Jamblichus, Mus. Rhen. XLVII, 26, qui Ps.-Aristotelis librum *περὶ τῶν Πυθαγορείων* adhibet. Scriptores composuerunt Rohdius l. l. et Dielsius, Fragm. d. Vorsokr. I² p. 281. Si Ps.-Plutarchi aenigmata cum ceteris comparamus, non omnia eodem modo enarrari explicarique, sed ex parte nova praeberi apparet: qua re eum proprio quodam ac vetere fonte uti verisimile fit.

[2]) Cf. Plutarchi De aud. poet. 28 B. *τοῖς δὲ ποιηταῖς οὐ πειστέον ὥσπερ παιδαγωγοῖς ἢ νομοθέταις, ἂν μὴ λόγον ἔχῃ τὸ ὑποκείμενον.*

Seneca, ut supra visum est, illum praecipue secutus, epistulis 94 et 95 praebet, concludi potest: ep. 94, 43 *quis autem negabit feriri quibusdam praeceptis efficaciter etiam imperitissimos?* . . (47) *pars virtutis disciplina constat, pars exercitatione* . . (50) *imbecillioribus quidem ingeniis necessarium est aliquem praeire: «hoc vitabis, hoc facies»* . . . (51) *regi ergo debet, dum incipit posse se regere. pueri ad praescriptum discunt* (ibid. 42 Pythagoras laudatur). Quae verba sine dubio Posidonii de educatione opinionibus, quas passim tractavimus, plane respondent. Sed quorsus haec in Ps.-Plutarcho? Sane nihil omnium illarum rerum hic scriptor exhibet. Sed demonstrandum erat inter Posidonium et Pythagoreorum opiniones summam congruentiam intercedere; concludi potest eundem illorum aenigmata permagni fecisse atque imitatum esse, sicut ceteroquin Pythagorae studiosus erat. De Ps.-Plutarcho autem id evenit, ut illa aenigmata Peripateticum vel mediae Stoae auctorem secutus laudare atque explanare videatur. — Ps.-Plutarchum praeterea nihil omnino de discendo ac de litterarum institutione, de scientiis atque philosophia ipsa proferre paulo post commemorandum erit.

Caput 13. De adulescentibus.

Ps.-Plutarchus 12 A puerorum aetate absoluta ad adulescentium mores transit. Quorum summam curam habendam esse, cum peccata sint multa ac gravia (12 A—D). Eandem rem ex parte iam 5 A—B tractavit. Deinde malorum hominum, imprimis adulatorum commercium improbat (13 A—C). In vitiis denique iudicandis lenitatem atque amorem benevolum patribus suadet (13 D—F). Illa adulescentium cura, qua hominum securitas usitata reprehenditur, apud artis educandi scriptores communis fuisse videtur. Nonnulla comparari possunt[1]); copiosius et Ps.-Plutarchi verbis similius agit Iamblichus, De v. Pyth. 202: vulgarem opinionem vituperat, qua homines putant *παῖδας μὲν ὄντας δεῖν εὐτακτεῖν* .. *νεανίσκους δὲ γενομένους ἀφεῖσθαι παρά γε δὴ τοῖς πολλοῖς ποιεῖν, ὅ τι ἂν βούλωνται. συρρεῖν δὲ σχεδὸν εἰς ταύτην τὴν ἡλικίαν ἀμφότερα τὰ γένη τῶν ἁμαρτημάτων* (i. e. vitia puerorum et virorum) . . . *διόπερ πασῶν δεῖσθαι τῶν ἡλικιῶν ταύτην πλείστης ἐπιμελείας.*

Quae deinde scriptor de adulescentium peccatis exponit, a vulgari ac trita vitiorum descriptione haud ita aliena esse putaverim. Licet enim Stoicae rationi simillimum sit, si ea facinora *ἀδικήματα* appellantur, tamen in vitiis describendis atque iudicandis (12 B *ἀμετρία γαστρός,*

---

[1]) Ut Xenoph. Cyrup. I 2, 9, Reip. Lac. III 2, 3, Theophr. ap. Stob. Ecl. IV p. 340, 12 H., Cic. De off. I 117, I 222 al.

κλοπαὶ πατρῴων χρημάτων, κύβοι, κῶμοι, πότοι, παρθένων ἔρωτες, γυναικῶν οἰκοφθορίαι γαμετῶν, 5 B praeterea *κόλακες, παράσιτοι, ἑταῖραι καὶ χαμαιτύπαι*) nihil esse mihi quidem videtur, quod ulli philosophiae proprium attribui debeat; *ἡδονῶν* quidem damnatio in omnes praeter Epicureos quadrat. Scriptorum locos, imprimis philosophiam popularem, quae vocatur, comparare facile, sed mea quidem sententia supervacuaneum est. Ponamus igitur id, quod locis comparatis vix aliter effici possit: vitiorum descriptionem et condemnationem Stoicum colorem habere verisimile videtur, quamquam cuiuslibet philosophiae moralis, etiam opinionum popularium esse potest.

Quae contra scriptor 13 D—F exponit, pleniorem comparandi occasionem praebere videntur. Inquirendum enim est, cui potissimum philosophiae illa clementia et vitiorum venia conveniat, quam Ps.-Plutarchus humanitatis nomine (*ἀνθρώπινα*) exigit. Si quaestionem ita ponimus, nemo est, quin voce *ἀνθρώπινα* adductus Stoam primam coniciat. Nam veram humanitatem in hominum mutua caritate ac benevolentia sitam esse illa secta praeter ceteras declarabat; cf. e. g. Senecam Ep. 88, 30 *humanitas vetat amarum (esse) verbis, rebus, affectibus, comem se facilemque omnibus praestat. nullum alienum malum putat.* Sed num revera omnibus Stoicis talis sententia aeque apta erat? Nonne si veteris Stoae placita genuina excutimus, quae magnam acerbitatem prae se ferunt, talem clementiam indulgentem ac vitiis paene cedentem ab ea alienam fuisse verisimilius est, cuius sectatores ut hominem per se magni aestimabant, ita a vitiis quam maxime abhorrebant? Certe si doctrinae normas severas adhibemus, quibus omnes, qui delinquunt, stulti, abiecti, dementes sunt, clementiae ac veniae locus non est: nam *Στωικοί . . . φασὶ μηδὲ συγγνώμην ἔχειν μηδενὶ τὸν νοῦν ἔχοντα* (Stob. Ecl. IV. p. 212, 1). Licet ea severitas ne apud acerbissimum quidem doctrinae defensorem umquam valuerit: sed non habemus, cur Ps.-Plutarchi opinionem veteri Stoae imputemus, si testimonia certa desunt atque nonnulla, ne faciamus, monent. Immo facile intellegitur Stoicum philosophum, si parentum erga prolem amorem ac benevolentiam postulare voluisset, aliter tractaturum fuisse: ante omnia parentibus liberos amandos esse secundum naturam ceterorum animalium exemplis adhibitis demonstravisset, ita fere egisset, ut Plutarchus *Περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας*. Vel sic rem instituisset, ut parentum ac liberorum amore mutuo omnem hominum societatem niti confirmaret (ut Cicero, De fin. III 62). Ps.-Plutarchus autem nihil eiusmodi exponit; quaeramus igitur clementiae eius exemplum alibi. Themistius tota oratione 32, quae inscribitur *Μετριοπαθὴς ἢ φιλότεκνος,* eandem rem agit. Stoicorum de affectibus doctrinam refellit seque Peripateticis dat Aristotele lau-

dato, qui vera hominis natura perspecta omnem severitatem et acerbam iniuriam abiecerit et philosophiam moralem hominum debilitati ac facultatibus accomodarit. Deinde liberorum amorem parentibus naturalem esse comprobat (362 A) patresque monet, ut filios adulescentulos revera diligant clementerque tractent neve, id quod saepissime fiat, minimis vitiis irascantur. Liberos caros habendos plurisque aestimandos esse quam cetera bona. Themistius igitur liberorum amorem et vitiorum indulgentiam e Peripateticorum philosophia morali derivat: et consentaneum est eos, qui hominis naturam debilem, vitiosam, ad affectus libidinesque proclivem putant, in vitiis iudicandis mitissimos ac facillimos esse. Quare ubicumque magnam vitiorum indulgentiam invenimus, hominis infirmitatem et ad peccandum facilitatem subaudiendam esse intellegimus. Eodem modo Ps.-Plutarchi quoque praeceptum e psychologiae ratione derivandum esse Platonis comparatione apparet. Nam eadem imago, qua scriptor utitur, cum dicit *οὕτω σκιρτῶσα νεότης πωλοδαμνεῖται* et *ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν παίδων ἐφεῖναι καὶ χαλάσαι τὰς ἡνίας* et *ἀντιτεῖναι*, ubique ad cupiditates affectusque, partem animi irrationalem significandam pertinet. Haec imago a Platone in Phaedro[1]) inventa ac splendide depicta posteris imitationi erat; conferatur e. g. Posidonii imitatio plena, quam exhibet Galenus De Hipp. et Pl. d. p. 466 K. Concludere ergo licet Ps.-Plutarchi praeceptum et re et verbis eius psychologiae esse, quae facultates irrationales non ignorat. Quae Platonis, Peripateticorum, mediae Stoae communis erat[2]). Accedit locus, quem colorem Peripateticum praebere puto, ea dico, quae 13 E de irascendo legimus. Mirum enim profecto esset vere Stoicum auctorem *τὸν ὀξύθυμον τῷ βαρυθύμῳ* praeferre neque omnino iracundiam castigare. Stoici irae non modum, sed exstirpationem destinabant, Peripatetici contra censebant (Stob. Ecl. II p. 139, 14 W.) *ἐπαινουμένην δὲ ἕξιν ὑπάρχειν τὴν πρᾳότητα, καθ' ἣν ὅτε δεῖ καὶ ὡς δεῖ καὶ ᾧ δεῖ ὀργιζόμεθα.* Eandem illam distinctionem inter eum, qui vehementer, at breviter et, qui diu vel semper irascitur oditque, Aristoteles statuit itemque illum praetulit: Eth. Nic. 1126 a 13 inter *ὀργίλον* (. . . *ταχέως ὀργίζονται . . . παύονται δὲ τα-*

[1]) Cf. praeterea Leg. 808 D ὁ *δὲ παῖς πάντων θηρίων δυσμεταχειριστότατον. διὸ δὴ πολλοῖς αὐτὸ οἷον χαλινοῖς τισι δεῖ δεσμεύειν.*

[2]) Operae pretium est Pythagoreorum praecepta simillima comparare, quae ad regis vel principis virtutes spectant: Sopater ap. Stob. Ecl. IV p. 216, 12 H *ἀλλ' ἥμερον χρὴ καὶ σεμνὸν τοῖς ὑπηκόοις . . . εἶναι . . .* (15) *δεῖ δὲ μηδὲ ὀργῇ προσομιλεῖν τοῖς ἀρχομένοις μήτε ἀνεπίπληκτον . . . καταλείπειν*, p. 217, 14 *ὅσα μὲν μικρὰ καὶ συνήθη τῶν ἁμαρτημάτων, ἀγνοεῖν δοκοῦντα . . .* 21 *ἐννόει δέ, ὡς σύμφυτον τὸ ἁμαρτάνειν ἀνθρώποις.* Archytas ibid. p. 218, 11 *δεῖ . . . εἶναι . . . καὶ φιλάνθρωπον. ἄτοπον γὰρ ἦμεν ποιμένα μισοπρόβατον καὶ τοιοῦτον οἷον καὶ δυσμενῶς ἔχεν τοῖς αὐτῶ θρεμμάτεσσι*, cf. Ps.-Plut. *δυσμενές* et *μισοτεκνία.*

χέως. ὃ καὶ βέλτιστον ἔχουσιν) et *πικρόν* (. . . *δυσδιάλυτοι, πολὺν χρόνον ὀργίζονται . . . εἰσὶ δ' οἱ τοιοῦτοι ἑαυτοῖς ὀχληρότατοι καὶ τοῖς μάλιστα φίλοις* — et praecipue, addere nobis licet, liberis suis). Quae cum ita sint, Ps.-Plutarchi praeceptum Peripati philosophiae morali optime convenire negari non potest; quatenus et in mediam Stoam, Platonis et Peripati imitatricem, quadret, pro certo definiri non potest. Verisimillimum tamen iterum videtur scriptorem Peripatetica et Stoica permixta exhibere.

In malorum hominum numero, a quibus adulescentes arcendi sunt, adulatorum abiectissimum genus est, in quos Ps.-Plutarchus vehementem vituperationem conicit. Adulatorum condemnatio apud scriptores, qui educandi curam habent, non rara est: Plato, Pol. 494 quam perniciosa sit adulatio illa aetate exponit; Pythagoras apud Stobaeum Ecl. III. p. 474, 8 W. *ὡς δ' ἐχθρῶν χείρονας ἐκτρέπου τοὺς κολακεύοντας*; Ps.-Isocrates, *Πρὸς Δημόν.* 30 *μίσει τοὺς κολακεύοντας*. Sed animadvertamus, quomodo adulator hoc loco describatur; facile enim intellegitur eius mores non eosdem esse, quos nos voci „Schmeichler" subicimus[1]), sed eius, quem nos „Verführer" appellamus. Quae huius vocabuli vel *τοῦ παρασίτου* notio haud ita rara est (cf. Ribbeck l. l. p. 59, imprimis in rebus eroticis). Hoc adulatoris opus verbis illustratur, quibus loquentem scriptor eum inducit. Eandem fere orationem adsentatoris cuiusdam Seneca tradit Ep. 123, 9: *adulatorum et prave laudantium sermo diutius haeret, quam auditur . . . in haec pervenitur verba: «una felicitas est, bene vitae facere: esse, bibere, frui patrimonio, hoc est vivere, hoc est se mortalem esse meminisse. fluunt dies et inreparabilis vita discurrit . . . non amicam habes, non puerum . . . cotidie sobrius prodis. sic coenas tamquam ephemeridem patri adprobaturus . . . istos tristes et superciliosos alienae vitae censores, suae hostes, publicos paedagogos, assis ne feceris nec dubitaveris bonam vitam quam opinionem bonam malle».* Quamquam argumenta non eadem sunt, tamen quantopere verba congruant, perspicuum est: conferamus Ps.-Plut. verba adulatoris: *στιγμὴ χρόνου πᾶς ἐστιν ὁ βίος· ζῆν, οὐ παραζῆν προσήκει,* deinde: *καθῆκε δέ τις καὶ χαμαιτύπην καὶ προηγώγευσε γαμετήν . . . οἱ πατέρες νήφειν παραινοῦσιν, οἱ δὲ μεθύειν, σωφρονεῖν, οἱ δὲ ἀσελγαίνειν, φυλάττειν, οἱ δὲ δαπανᾶν . . . τί δὲ φροντιστέον ἡμῖν τῶν τοῦ πατρὸς ἀπειλῶν; κρονόληρος καὶ σοροδαίμων ἐστί.* Iisdem igitur lineamentis adulatoris imago utrimque describitur; usus et adaptatio eius differunt. Si deinde verba totumque rerum conexum inspicimus, illam imaginem Stoicis coloribus pictam esse

---

[1]) Ceterum cf. O. Ribbeck, *Κόλαξ*, eine ethologische Studie (Abh. d. K. sächs. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl. IX, 1884, p. 1).

verisimile est et *adsentator* nihil aliud nisi homo voluptatibus serviens, hedonicus esse videtur. Ps.-Plutarchi *κόλαξ* enim eodem modo orditur, quo Epicurus monet, ut tempore utamur, apud Stob. Ecl. III p. 488, 7 H. (fr. 204 Us.) *γεγόναμεν ἅπαξ, δὶς οὐκ ἔστι γενέσθαι. δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα μηκέτ' εἶναι. σὺ δὲ τῆς αὔριον οὐκ ὢν κύριος ἀναβάλλῃ τὸν καιρόν κ. τ. λ.* Accedit linea nempe Stoica: Ps.-Plut. 13 B *καὶ μετέωρον αὐτὸν ἀράμενοι τὴν ταχίστην ἐξοίσομεν* coll. Iuvenal. sat. 14, 250 *iam nunc obstas et vota moraris* (cf. quae ad eum locum adnotat Schuetzius, *Iuv. ethic.* c. IV.). Num deinde quid accuratius de fonte eius imaginis inquiri possit, difficile est diiudicatu in re, quae per se omnibus Stoicis convenit. Quamquam igitur similitudo sequens non multum valet, tamen non est neglegenda: Seneca De ira II 21, 7 Posidonio auctore adulatores reprehendit (*longe itaque ab adsentatione pueritia removenda est*). Deinde adsentator simili modo loquens inducitur, verbis fictis eius animus, mores, depravandi ars illustrantur. In mentem nobis veniat Senecae testimonium, Ep. 95, 65, ubi Posidonius *ethologiam* comprobat. Quam licet Seneca l. l. aliter explicet quam hic quadrat (*signa cuiusque virtutis ac vitii et notas reddentem*): animadvertendum est apud rhetores quoque *ἠθοποιίαν* fuisse, quam Hermogenes *Προγυμν.* Rhet. Gr. v. II 15 Sp. ita definit: *ἠ. ἐστὶ μίμησις ἤθους ὑποκειμένου προσώπου, οἷον τίνας ἂν εἴποι λόγους κ. τ. λ.* Ita Posidonii quoque ethologiam intellexerim, ut hominum animi ac mores etiam verbis exprimantur. Adulatoris ergo tractatio[1]) Stoica mihi esse videtur; nihil impedit, immo aliqua quamvis pauca adducunt, ut novae Stoae eam attribuamus.

---

[1]) Ceterum de adulatore iudicium cum Platone congruit, Phaedr. 240 (... *δεινῷ θηρίῳ καὶ μεγάλῃ βλάβῃ ὅμως ἐπέμειξεν ἡ φύσις ἡδονήν τινα* ...).

Pars III.

De fontibus Pseudo-Plutarchi.

Ex rerum comparatione, quam altera opusculi parte, ut institueram, peregi, id quod prima parte, quae erat de genere libelli, probabile visum est, confirmatum atque clarius redditum est: nam praeterquam quod partes singulae inter se non concinnae conglutinatae esse videntur, nunc cogitationes quoque et praecepta varia congesta esse comprobatum est. Quare iterum commemorandum atque sequenti quaestioni, quae est de fontibus, tamquam iudicandi norma, ut ita dicam, praemittendum est: Ps.-Plutarchi libellus ex uno fonte solo — quem dico quodlibet opus de educatione scriptum — derivari vix potest neque quae insunt unius philosophiae doctrina continentur. Atque ea res magis etiam probatur, si eorum librorum, qui a scriptore, cum de educando ageret, fontes adhiberi poterant, quos quidem nos novimus, indolem indagamus atque cum huius scriptoris opusculo, quatenus fieri potest, comparamus. Sed quae est nostra horum scriptorum ignorantia, quaecumque de eis tradita accipimus aut coniecturis fingere possumus, adhibenda sunt. Atque si quis libelli alicuius naturam perscrutatur, non ea sola, quae proferuntur a scriptore excutienda sunt — id quod de hoc libello altera parte factum est — sed etiam, quae desunt, nonnumquam non minoris momenti sunt: cum enim de quolibet alio libro, num fons fuerit, quaerimus, quae in illo inerant vel infuisse comprobari potest, eadem, dummodo ne sint res parvae aut ea, quae cur omissa vel mutata sint, causa intellegitur, altero quoque libro praeberi exspectandum est.

Iam in altera parte, ubi cui philosophiae res singulae facillime attribui possent, quaerebatur, quaestio per se latior in angustius paulatim restricta est: utrum Stoica an Peripatetica sint, quae Ps.-Plutarchus exhibet, et si Stoica, utrum veteris an recentioris Stoae. Nunc quoniam singula quaeque aut his aut illis aut ambobus distributa sunt, nonnulla pro certo, alia aliqua cum probabilitate, de utriusque scholae philosophis quaestio est, non scilicet — si, quae adhuc evenerunt,

tenemus — num totius libelli auctores sint, sed quatenus singula quaedam ex eorum scriptis hausta esse possint. Tamen quae iam probata sunt, paulum praetermittamus atque in eo philosopho, cuius libri ante omnia ratio habenda est, Chrysippum Stoicum dico, quoniam Dyroffius, vir doctissimus, qui ad illustrandum Ps.-Plutarchi opusculum plurima contulit, illum aliquo modo auctorem fuisse coniecit, quaestionem ita ponamus: potestne Chrysippi liber Ps.-Plutarchi fons esse? Quia de hoc libro perpauca nobis traduntur, fingendus paene est ita, ut, quaecumque philosophus Stoicus de ea re agere potuit et debuit, investigemus. Quod si factum erit, non modo de illo, sed etiam de quolibet alio auctore Stoico magna ex parte quaestio una absolvetur. Etiamsi, ut dixi, de Chrysippi libro pauca scimus, tamen quae scimus satis valent, ut Dyroffii coniecturam talem, qualem ille vir doctus professus est, repudiemus. Cuius argumentorum gravissima pars in locis est, qui apud Quintilianum Chrysippo dantur; de quibus postea agere statui. Nunc conferamus, quae de illius libro ceteroquin traduntur quaeque secundum eius doctrinam et animum exspectamus. In forma libri cognoscenda Plutarchus nos adiuvat, De Stoic. rep. 1035 B *(Χρύσιππος) . . . τοῦτόν γε τὸν λόγον, ὃν ἔσχατόν φησι δεῖν τάττεσθαι, περὶ θεῶν, ἔθει προτάττει καὶ προεκτίθησι παντὸς ἠθικοῦ ζητήματος . οὔτε γὰρ περὶ τελῶν . . . οὔτε περὶ γάμου καὶ παιδοτροφίας . . . φαίνεται τὸ παράπαν φθεγγόμενος, εἰ μὴ . . . προγράψειε τὸν Δία, τὴν Εἱμαρμένην, τὴν Πρόνοιαν, τὸ συνέχεσθαι μιᾷ δυνάμει τὸν κόσμον ἕνα ὄντα καὶ πεπερασμένον;* sequuntur ipsius verba, quibus semper ordiendum esse ait *ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως.* Chrysippus igitur educationem utpote philosophiae moralis partem magnam cum tota doctrina coniunxit: initio libri eum de mundo, deo, hominis natura, virtute egisse verisimile est. Nam licet Plutarchi verba invidia aucta sint, illud quidem credere minime difficile est. Deinde ille philosophus omnia praecepta nempe e Stoicorum doctrina derivavit; quare opus eius sine dubio multo amplius copiosiusque, multo doctius rationique aptius erat quam hic libellus ineptulus. Ex Quintiliani loco Inst. or. I 1, 16 (*Chrysippus . . quamvis nutricibus triennium dederit . .*) apparet illum annorum spatia certa praecepisse et omnino, ut suspicari licet, ad certiores distinctasque normas omnia redegisse. At enim fieri potuit, ut Ps.-Plutarchus Chrysippi librum ita excerperet, ut multa, ante omnia disputationes philosophiae sublimes omitteret, nonnulla sponte mutaret insereretque: sed si ita censemus, quomodo ordo perturbatus et res permixtae explicantur? Quem scriptorem tam ineptum, quem denique tam dementem habeamus, ut sine ulla causa ordinem rationalem et tractationis contextum deperdat? Praeterea tam multa

nobis essent reformanda, mutanda, omittenda, adicienda, ut plane aliud opus existeret neque, quidnam in Ps.-Plutarchi libello revera illi philosopho attribui posset, intellegeretur. At Dyroffius in forma quoque Chrysippi vestigia apparere censuit. Scriptor enim poetarum, praecipue Euripidis locos inserit, quam illius consuetudinem fuisse constat (cf. Galen. de Hipp. et Pl. d. p. 295 K *πλῆθος ἐπῶν παραγράφων ἐξ ἁπάντων τῶν ποιητῶν ἐκλέγων*). Sed tale tractandi genus non Chrysippi neque cuiuslibet alterius scriptoris (ut e. g. Posidonii, cf. Galen. l. l. p. 399 *ῥήσεις τε ποιητικὰς παρατίθεται καὶ ἱστορίας παλαιῶν πράξεων μαρτυρούσας οἷς λέγει*) proprium est, sed apud multos antiquos scriptores in tractationibus ethicis valet. Ita Ps.-Plutarchus sive eos locos ipse addidit, sive ex fonte transtulit, exempla ubique invenire potuit. Deinde genus dicendi commemorabile est, quod multa vocabula rara atque inusitata habet, quae Wyttenbachius collegit (*Anim.* p. 22). Talem verborum inauditorum usum et formae neglegentiam, quam item facile interdum in Ps.-Plutarchi libello cognoscimus, Chrysippo bene convenire. Quod argumentum, ut ceteris rebus consentientibus probabile est, ita solum nullius fere momenti est, cum subvagum sit; de scriptore sane indicat, sed hoc rectius concluditur illum litterarum cultiorum eleganterque scribendi imperitum fuisse. Nam formae neglegentia praecipue in manca rerum dispositione et explicatione inepta sita est, quas Chrysippo attribuere ne sit audacius. Praeterea si Ps.-Plutarchi libellus Chrysippi opus excerptum inque breve contractum est, quomodo illius dicendi genus in hoc opusculo cognosci potest, ubi tractatio sine dubio eius, qui excerpit, propria est?

Accedit argumentorum, quae in rebus atque cogitationibus sunt, multitudo. Iam non singula quaeque, quae supra in rebus enarrandis tractavi, iterari hic oportet: satis sit in mentem nobis revocare nonnulla libello inesse talia, quae a veteris Stoae doctrina atque animo plane dissentiant, alia, quae ei attribui non possint nisi coniectando et concedendo. Quid contra est, quod ipsam veterem Stoam fontem suspicari nos cogat? Iterum dico, veterem Stoam vel Chrysippum; nam Stoica inesse nonnulla vidimus, sed ea plerumque, quae cuiuslibet philosophi Stoici esse possint. Non est mirandum Dyroffium tam multa comparare, quae similitudinem aliquam — sane nonnumquam satis exiguam ac vagam — praebeant: id enim secundum ea, quae sibi proposuit, quaesivit, num haec vel illa Chrysippo dari possent, non cui potissimum philosopho attribuenda essent. Quae omnia singillatim recensere supervacuum est, nonnulla ne refelli quidem possunt, quia in eis rebus versantur, quas, cum sint vulgares atque communes, nemo a Chrysippo abiudicabit.

Transeamus denique ad certiora, ea dico, quae Chrysippi libro infuisse iure conici potest. Neminem fugit Ps.-Plutarchi libello magnam vel maximam educationis partem deesse, eruditionem mentisque institutionem dico. Nam de artibus liberalibus nihil profert, nisi ne nimiam operam iis pueri dent, quamquam eruditionis elementa, instructio litterarum, prima scientiarum institutio, ratio docendi atque discendi sine dubio summa diligentia ab eo tractandae sunt, qui de tota educatione agere vult. Sed etiam philosophiae, cui ut ante omnia studeatur, scriptor monet, institutio tota deest: ut praetermittam logica et physica, quae ne verbo quidem attinguntur, quid de morum ratione profert, ubi quomodo pueri vel adulescentes philosophiae moralis doctrina imbuendi sint, disserit? Quae omnia erant tractanda et tractavit Chrysippus: Plut. De Stoic. rep. 1035 A *ὁ Χρύσιππος οἴεται δεῖν τῶν λογικῶν πρῶτον ἀκροᾶσθαι τοὺς νέους, δεύτερον δὲ τῶν ἠθικῶν, μετὰ δὲ ταῦτα τῶν φυσικῶν, ὡσαύτως δὲ τούτοις τὸν περὶ θεῶν λόγον ἔσχατον παραλαμβάνειν.* Consentaneum ergo est eum hunc institutionis ordinem primo explanasse atque e re esse demonstrasse, deinde instruendi elementa disposuisse atque totius philosophiae docendae viam ac rationem explicavisse. Cuius in eruditione nihil aliud appeti poterat, nisi ut sapientia, scientia sui omniumque rerum divinarum atque humanarum efficeretur, ex qua virtus, quae est sapientia, per se sequeretur. Quamobrem ut dubium non est, quin altera operis eius pars praecepta vivendi continuerit, quibus mores puerorum formandi essent — ut nunc praetermittam, quae ad parentes, generationem, nutritionem, corporis formationem[1]) pertinent — ita alteram atque nescio an maiorem partem litterarum, scientiarum, philosophiae institutioni datam fuisse certum est. Liceat quaeso breviter eam partem mente nobis fingere. De grammatice, quae in initio est, nonnulla praecipit, in mathematicis reliquisque artibus liberalibus non satis habet exigere, ut pueri instituantur, sed, quatenus et quomodo, exponit et quamobrem eorum studium utile sit, demonstrat, quippe qui ita censeat (Diog. Laert. VII 129). Ita musicam quoque commendavit et certo, quid prodesset, explanavit[2]). De litteris ita fere agit, ut poetarum lectionem commendet utpote ad mores excolendos utilem, cum philosophiam praeparet. Ubi eum nonnulla eis rebus similia protulisse elucet, quas libro *Περὶ τοῦ πῶς δεῖ*

[1]) Ubi chironomiam tractavit (Quint. I 11, 17), de qua Ps.-Plutarchus nihil praebet.

[2]) Cf. Quintil. Inst. or. I, 10, 15 . . *eius sectae . . . principes in hac fuere sententia, ut existimarent, sapientium aliquos nonnullam operam his studiis accommodaturos* et ibid. 32, in musica tractanda de carmine, quod Chrysippus nutrici assignavit.

ποιημάτων ἀκούειν tractavit. Deinde ad philosophiae institutionem transit secundum rationem, quam Plutarchus tradidit. Logicis pueri instruuntur, ut recte cogitent ac disputent, arte dialectica et rhetorica imbuuntur: sed in dicendo veteris Stoae more definitiones, divisiones, meram artis doctrinam philosophice tractatam accipiunt. In ethicis de fine, bonis ac malis, virtute etc. quadam via ac ratione instituuntur; inest nempe pars de actionibus et de officiis. In physicis denique doctrina de rerum natura, deo, homine, mente sequitur et unde orsus est liber, eodem revertitur, in sublimem atque reconditam philosophiam. Nunc adulescentes philosophiae sacris initiati sunt, nunc educatio id, quod propositum erat, consecuta est: ut homines sapientia absoluti abirent. Sicut Quintiliani institutionem oratoriam habemus, ubi quomodo puer inde a prima infantia instruendus sit, ut perfectus abeat orator, praecipitur, ita Chrysippum institutionem philosophicam scripsisse atque perfecti hominis sapientis vel philosophi eruditionem exposuisse verisimillimum est. Certe si Platonis Aristotelisque exempla secutus est, ita fere rem egit; illi enim optimum civem formant, hic quid aliud quam hominem sapientem? Comparemus, ut exemplum afferam, Musonium, qui etiamsi philosophiam solis in moribus perficiendis (*καλοκαγαθία*) sitam esse putat, tamen de morali quidem institutione copiose praecipit (Stob. Ecl. II, p. 240 W.) vel Iamblichum, qui non Stoicus in brevissima illa epistula *Περὶ παίδων ἀγωγῆς*, quam Sopatro misit (Stob. Ecl. II, 233, 18 W.), in eum finem omnia vertit, ut *λόγοι* doceant et *ἀλήθεια* cognoscatur. Nonne Chrysippum multo accuratius doctrinam philosophiae exposuisse atque in eruditione exegisse probabile est? An Stoicae sectae principem minus de doctrina atque placitis suis protulisse putamus, quam quae postea in scholis magistri docebant[1])? In Ps.-Plutarchi autem opusculo non solum de vera eruditione, de litteris atque artibus, de philosophiae doctrina nihil legimus, sed etiam omnis philosophiae ratio, ut ita dicam, deest: nusquam doctrina certa atque una, nusquam placita, nusquam elegans ac rationalis argumentatio. Locus esse videtur, ut pauca adiciam, quae si non in Chrysippi libro, certe in cuiuslibet Stoici scriptoris sequentium quoque temporum tractatione desiderantur. Ante omnia commemorandum est, apud Ps.-Plutarchum nil *κατὰ φύσιν* esse: et Stoicus sit? In virtutibus puerorum desunt *αἰσχύνη, αἰδώς, φρόνησις, αὐταρκία*, aliae; „virtus" non una atque eadem est, non enumerantur quattuor virtutes principales; nihil de parentibus ac fratribus diligendis praecipitur, quamquam

---

[1]) Cf. Plut. De aud. poet. 25 C . . *ἐν πᾶσιν ἁμαρτωλὸν εἶναι τὸν ἀμαθῆ . . κατορθοῦν τὸν ἀστεῖον· ταῦτα γὰρ ἐν ταῖς σχολαῖς ἀκούομεν.*

liberorum primum officium est parentibus gratias agere eosque amare atque colere (Plato, Pol. 425 A, Iamblich. De v. Pyth. c. 8). Audiamus, quas virtutes Musonius formare velit: Stob. Ecl. II, p. 238, 26 W. *καὶ ἀρξαμένους ἀπὸ νηπίων εὐθὺς διδακτέον* . . . (ita efficitur) *φρόνησις* . . . *εἶτα δὲ ἐμποιητέον αἰδῶ* . . . *σωφροσύνη*, deinde . . *ἐθισθέον ἀνέχεσθαι πόνον* . . . *μὴ φοβεῖσθαι θάνατον* . . . *μὴ ταπεινοῦσθαι πρὸς συμφορὰν μηδεμίαν* (*ἀνδρεία*) . . *δικαιοσύνη*. Vel conferamus Epicteti diligentem curam, qua omnes vivendi condiciones formantur et virtuti sanctitatique adaptantur (cf. Bonhöffer, D. Ethik. d. Stoikers Epiktet p. 60 sq.). Idem etiamsi et ipse philosophiam virtutis studium esse censet, artem logicam et dialecticam non plane aspernatur.

Sed iam ad posteriores Stoicos delapsi sumus, de quibus paulo post agendum erit; nunc ad Chrysippum revertamur, de quo iudicari recte non potest, nisi sequentem quaestionem absolvimus: quaenam ratio intercedit inter illum philosophum et Quintilianum? Quae res adhuc ita fere diiudicabatur: Quintilianum, qui Chrysippum in primo libro quinquies laudet, illius librum de educando compositum in educatione tractanda fontem adhibuisse[1]). Quae sententia a duobus auctoribus imprimis defenditur: Dyroffium dico et Gudemanum[2]). Quintilianus Chrysippum nomine dicto laudat his locis: I 1, 4 *ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus; quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit, certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit;* I 1, 16 *melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chr.;* I 3, 14 *caedi vero discentis, quamlibet et receptum sit et Chrysippus non improbet, minime velim;* I 10, 32 *Chr. etiam nutricum illi, quae adhibetur infantibus adlectationi, suum quoddam carmen adsignat;* I 11, 17 *chironomia Chrysippo in praeceptis de liberorum educatione compositis non omissa.* Quibus ex locis maximi momenti sunt, qui non per se iudicari possunt, sed in eorum praeceptorum Quintiliani numero sunt, quae ita complecti licet: cum infantium aetas tenera sit ac facile formetur, assignentur eis bonae sapientesque nutrices, pueri, paedagogi,[3]) ne multa, quicumque circa pueros sunt, virtutem habeant. Quare verisimile videtur ea, quae Quintilianus de hac re tractat, Chrysippo attri-

---

[1]) Cf. Schanzium, Gesch. d. röm. Literatur, v. II 2[2] (1901) p. 357.

[2]) Tacitus Dialog. 1894, Proleg. p. XCIX. Nihil in hac quaestione effici puto H. Raubenheimeri dissertatione *Quintilianus quae debere videatur Stoicis popularibusque, qui dicuntur, philosophis* (Wirceburgi, 1911), qui illos viros doctos plane sequitur (p. 49—63).

[3]) Quem ordinem, quia apud Quintilianum et Ps.-Plutarchum idem est, Dyroffius (p. 247) argumentum opinionis suae esse putat; equidem eum in re ipsa situm praeterea librorum de educatione scriptorum compositione exigi censeo.

bui posse: I 1, 4—5, praecipue verba, quae praecepti rationem continent: *et natura tenacissimi sumus* e. q. s., deinde 1, 8 *de pueris* e. q. s. . . . *de paedagogis*, I 1, 16 de moribus nutricum, fortasse et 1, 21—22. Sed ut haec quaestio diiudicari possit, ante omnia quo modo ille philosophus laudetur quidve ex verbis Quintiliani concludi possit, videndum est. Primo loco, I 1, 4, Chrysippi sententia exposita scriptor sic pergit: *et morum quidem in his haud dubie prior ratio est, recte tamen etiam loquantur.* Nonne perspicuum est Quintilianum illius praeceptum, qui mores, non sermonem respexerit, mutare atque non modo de educatione morali, sed etiam de institutione oratoria praecipere? Quod igitur in initio postulatur, *ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus*, Chrysippo non est dandum. Item aliqua cum probabilitate ne sequentes quidem paragraphi 6 et 7, ubi in parentibus id solum exigitur: *quam plurimum esse eruditionis optaverim*, quae eruditio iterum imprimis in recte dicendi usu sit. Quaecumque ad institutionem oratoris futuri tendunt, de Chrysippo non sunt derivanda; ita in pueris quoque et paedagogis (1, 8) Qintilianus illum solo in eo sequi potest, quod mores optimos exigit, at de suo praecipere videtur *hoc amplius, ut aut sint eruditi plane e. q. s.*, quae verba item ad dicendi artem pertineant. Chrysippum revera de ea institutione, quae eruditionis oratoriae summam rationem habet, nihil egisse, sed in prima aetate solam morum formationem curavisse, quae scilicet, ut ex philosophia eius apparet, in mente ac ratione excolenda atque in discendo sita erat, sequenti loco magis etiam probatur: I 1, 16 *melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus. nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam formandam quam optimis institutis mentem infantium iudicat.* (17) *cur autem non pertineat ad litteras aetas, quae ad mores iam pertinet?* Iterum enim Quintilianum illius philosophi praeceptum, quod solam sapientiam, morum perfectionem appetat, litterarum et dicendi institutioni adaptare elucet, cum educatio moralis et oratoris futuri eruditio inter se opponantur. Quae cum ita sint, equidem Chrysippi praeceptum, quo parentum, nutricum, servulorum, paedagogorum mores optimi exiguntur, Quintiliani tractationi sane subesse crediderim, sed ita, ut cura nova ac maior accedat, qua sermonis et instructionis oratoriae inde a prima aetate adhibendae ratio habetur, quamquam morum cultus minime neglegitur. Quare nihil obstat, quin Quintilianus Chrysippi librum adhibuerit, etiamsi multa de suo vel aliunde addidit. Tamen eum ex illius libro ipsum non hausisse fortasse opinari licet, si opus eius accuratius inspicimus rerumque copiam examinamus. Primo capite haec aguntur: de indole ac facultatibus innatis oratoris futuri (1—3), de sermone ac moribus nu-

tricum (4—5), de eruditione parentum (6—7), de pueris et paedagogis (8—9), de optima institutione oratoria (10—11), de sermone Graeco discendo (12—14) et litterarum institutione (15—24), singula praecepta ad legendum, scribendum, ediscendum pertinentia (25—37). Omnia igitur uni, ut ita dicam, conspectui subiecta sunt: quo modo orator futurus a prima pueritia tractandus atque instruendus est? Omnia in eundem finem tendunt, una atque continua sunt. Cum autem iam primo capite oratoris illa perfecti imago, quam toto opere Quintilianus appetit, quae morum atque artis perfectionem coniungit, paulatim depingatur, res, quam nunc tractamus, ex ea quaestione pendet, quae huius imaginis fontem inquirit. Quae sane hic explicari non potest: id unum satis certum est Quintilianum ipsum auctorem non esse, sed aliquo modo de Stoicis pendere[1]). Verisimillimum autem est eum primi libri capite primo, quod cum ceteris rebus cohaeret, eodem auctore uti, ex quo oratoris sui imaginem hausit; nam et reliqua libri primi capita, quatenus huc pertinent — de rerum grammaticarum et artis oratoriae elementorum fontibus hic quaestionem non esse consentaneum est — eodem tendunt eiusdemque animi sunt. Quem auctorem Chrysippum esse non posse declarare non oportet: relinquitur, ut Quintilianum aut illius librum praeter alios adhibuisse aut Chrysippi verba ex illo fonte derivasse existimemus, quo ceteroquin utitur. Illud cum minus probabile videatur secundum ea, quae supra exposuimus, quoniam, quae aliquo modo Chrysippi libro attribui possunt, proprio quodam modo mutata et novae rei adaptata sunt, hoc reliquum est. Quod magis fortasse alio loco probatur: I 1, 15 complurium scriptorum sententias enarrat, Pseudo-Hesiodi, Eratosthenis, deinde *melius autem qui . . . ut Chrysippus*. Num credi potest scriptorem ipsum eas sententias collegisse neque e fonte suo transtulisse? Chrysippum autem illas sententias tradidisse certe non est verisimile, quod Eratosthenes et Aristophanes, qui commemorantur, aequales eius natu minores erant. Eodem modo facillime explicatur eum I 11, 17 Chrysippum post Socratem et Platonem ita laudare: (chironomia) . . . *et Chrysippo . . . non omissa*. Ut igitur quid sentiam, concludam: Quintilianus Chrysippi librum non ipse adhibuit, sed quae illius laudat, cum ceteris rebus e fonte suo transtulit[2]). Quem auctorem utpote Stoicum Chrysippi,

[1]) Cf. Schanz, Gesch. d. röm Liter. II 2 ² p. 357; de Arnim, Leben und W. d. Dion v. Pr. p. 91; Radermacher, Mus. Rhen. LIV 286.

[2]) Ceterum rem pro certo diiudicari non posse existimo. Sed liceat Quintilianus Chrysippi librum ipsius adhibuerit, certe quae illi philosopho non debeat, adumbravimus.

sectae principis, opiniones ac praecepta saepius adhibuisse atque laudasse minime est mirandum. Tamen cum Chrysippo minime ubique consentit: quin etiam uno loco ei obstitit (I 3, 14 *caedi vero discentis . . . minime velim*). Quam sententiam Quintiliani propriam non esse e Ps.-Plutarchi loco consimili 9 A sequitur, de quo consensu paulo post agendum erit. Quatenus denique ille auctor eiusque imitator Quintilianus Chrysippum secuti sint, iam supra, quod quidem fieri potest, adumbratum est: praeceptum illud, quo eorum, quibuscum pueri versantur, mores optimi et morum conformatio a prima aetate instituenda exiguntur, sine dubio a Chrysippo copiosissime tractatum est et in eundem, ubicumque apud posteros invenimus, aliquo modo iure revocatur.

Magna pars argumentorum, quibus commotus multa, quae Quintilianus exhibet, fonti eius, quicumque est, attribui, huius scriptoris et Ps.-Plutarchi consensu nititur, quem, quoniam supra apparuit, tacitus quaestioni subieci. Nunc quae ratio inter eos intercedat, accuratius inquirendum est. Atque solam rerum summam hic ponere licet, quia pleraque in altera opusculi parte absoluta sunt. Eos locos, qui ad illud praeceptum amplum, quod Chrysippo tamquam auctori maximo dedimus, pertinent, per se tractandos esse consentaneum est. Qui licet plane congruant et apud utrumque scriptorem e Chrysippi libro sicut ex origine prima maximam partem fortasse derivandi sint, tamen illius librum ipsum fontem non fuisse probabile est, sed auctorem quendam, si qui est eorum communis, qui in ea re Chrysippum secutus est, ita vero secutus est, ut rem amplificaret et mutaret. Nam curam sermonis, quae apud Quintilianum maxima est neque a Ps.-Plutarcho praetermittitur, Chrysippo attribuendam non esse e Quintiliani verbis probabile visum est. Sed quae est singularum rerum inter illos differentia, meo quidem iudicio communem eorum fontem conicere vetamur. Non alienum videtur locos, quibus similitudo aliqua intercedit, componere: Quint. Inst. or. I 1, 4 de nutricibus — Ps.-Plut. 3 D, Quint. I 1, 15 et 22 — Ps.-Plut. 3 E *ὥσπερ γὰρ κ. τ. λ.*; eadem res ab utroque probatur, sed variis exemplis (Quint.: sapor et vasa, lanae, Ps.-Plut.: cera et signum). Praeterea: I 10, 32 de nutricis carmine — Ps.-Plut. 3 F . . . *μὴ τοὺς τυχόντας μύθους κ. τ. λ.*; quamquam Chrysippi *carmen* ad musicam, non fabulas spectat, quare comparatio non satis convenit. Cum *chironomia* (Quintil. I 11, 17) denique Ps.-Plut. 11 C vix comparari potest, ubi in corporibus exercendis *εὐρυθμία* expetitur. Sed transeamus ad ea, in quibus Quintilianus et Ps.-Plutarchus consentiunt aut de industria contra Chrysippum (Quint. I 3, 14 et Ps.-Plut. 9 A de castigando) aut ita, ut res ab illo alienas fuisse probabile sit. Quintilianus I 1, 4 et 8 sermonis nutricum et servulorum curam habet,

Ps.-Plutarchum, qui 4 A in servulis exigat, ut sint *Ἑλληνικὰ καὶ περίτρανα λαλεῖν,* in nutricibus quoque, cum *πρῶτον μὲν τοῖς ἤθεσιν Ἑλληνίδας* postulat, sermonem Graecum ac purum significare verisimile est. Quamquam negari non potest hanc similitudinem levem esse, quod a Ps.-Plutarcho recte dicendi ratio non exprimitur, tamen adest. Quid deinde apud utrumque scriptorem valeant in educatione laus, honor, aemulatio, vituperatio, item quanti sit remissio laborum et lusus faciendus, supra expositum est. Ubi Senecae locis collatis effici visum est eas res mediae Stoae optime convenire. Quae coniectura etiam certior e Quintiliani opere redditur: I 3, 6 *quonam modo tractandus sit discentis animus,* disserit. Hic *animus* nempe aliud significat quam mens vel ingenium, de quibus tractandis ubique agitur. Quae in eo maxime valent, *ambitus, obiurgatio, honor,* eum cum affectibus cohaerere demonstrant, etiam nihil aliud esse nisi affectuum facultatem, quae Graece *θυμός* audit. Eodem modo Senecam secundum Posidonium De ira II 21 de animo regendo et *ira,* quae et ipsa *θυμῷ* consimilis est, recte vertenda ac tractanda praecepta dare constat. Neque opus est amplius comprobare omnia illa Quintiliani praecepta ei psychologiae optime vel soli respondere, quam Posidonius atque media Stoa contra veterem professus est. Sed eadem Platonis et Peripati communis erat. Quare Quintiliani et Ps.-Plutarchi opiniones congruentes magnam partem mediae Stoae vindicandas esse, ut est verisimile, ita minime pro certo contendi potest. At quia in tanta rerum similitudine nonnulla argumenta, tractatio, verba minime congruunt, eos scriptores neque alterum ex altero neque ambo ex uno eodemque auctore pendere, sed tantummodo rerum partem utriusque in eandem vel in similes pilosophias revocandam esse certum equidem habeo. Sequitur de Quintiliano, ut quae praebet, pleraque Stoico auctori attribuamus, qui aliquo modo cum media Stoa coniunctus in educandi opinionibus saepe Chrysippi doctrinam secutus erat, de Ps.-Plutarcho item, ut quae sine dubio Stoica habet, maxima ex parte in mediam Stoam revocemus vel potius ex illa fluxisse putemus; quae apud utrumque Chrysippo danda videntur, ea certo sunt, quae ibi quoque de vetere Stoa translata valebant.

Si Chrysippi quaestio ita diiudicatur, non difficile est intellegere Ps.-Plutarchi libello nonnulla inesse, quorum origo prima apud illum quaerenda est. Nam ut nobis probatum est illius librum ipsum Ps.-Plutarchi fontem non fuisse, ita quam multa aut pauca per aliorum scripta in hunc scriptorem illinc fluxerint, definire nemo potest. Atque ita Dyroffii argumentum sane haud spernendum explicari possit, quo Sotadis, Theocriti (11 A—C), Eurydices (14 B) exempla ob temporum

rationem optime Chrysippo fonti convenire confirmavit. Quae exempla, cum posteriore quarti a. Chr. n. saeculi parte contineantur, a Chrysippo afferri potuisse nemo negabit. Accedit, quod a Ps.-Plutarcho tam copiose enarrantur, ut Dyroffii coniectura probabilissima hac una causa fiat. Sed quaerere nobis licet: quid in illis exemplis Chrysippi vel omnino Stoae rationem indicat? Meo quidem iudicio, si quid ex eis concludere licet, sola auctoris aetas aliquatenus definiri potest; ceterum cuilibet scriptori attribui possunt[1]). Equidem tales res, praecipue Theocriti fabulam, vulgares et in praeceptis comprobandis ineptas esse crediderim neque satis convenire tractationi vere philosophae, certe maximo illo et doctissimo philosopho indignas esse[2]). Licet sane de hac re iudicium arbitrio atque sensu uniuscuiusque proprio nitatur; tales res in philosophia subineptas esse omnibus concedendum est. Nam qua alia causa adductus, quam ut praeceptorum rationem ita probaret, Chrysippus eas fabulas narraverit, intellegi non potest. Quam ob rem equidem ea exempla a Chrysippo removenda et cuilibet scriptori eiusdem fere aetatis danda esse putarim; sed si quis Chrysippo dat, aliunde Ps.-Plutarchus ea hausisse potest neque illius librum ipsum fontem fuisse pro certo concludi oportet. De Eurydices exemplo, quo Dyroffii coniectura multo minus quam reliquis duobus nititur, paulo post agetur. Fieri tandem potest, ut Chrysippi quaestionem finiamus: quas cogitationes Ps.-Plutarchi Stoicis dare possumus, mediae nonnumquam Stoae colorem exhibent. Quae quam multa in singulis rebus cum Chrysippo communia habuerit, non semper pro certo diiudicari potest neque multum ad rem pertinet, quia Ps.-Plutarchum Chrysippo ipsum nil debere ex eo verisimile redditur, quod in tota eruditionis institutione et educandi notione discrepant.

Quoniam tam saepe mediam Stoam iactamus, de ea quoque nunc accuratius inquirendum est. Panaetium aut Posidonium aut quemquam Stoicorum, qui post Chrysippum erant, de educatione scripsisse non traditum est. Tamen ante omnes Posidonium de ea re nonnulla protulisse facile probatur. Galeni enim testimonio (De Hipp. et Pl. d. p. 466 K) in libro *περὶ παθῶν* primo educandi institutionem composuit,

---

[1]) Immo fortasse Schickius recte censet, qui p. 42 adn. 76 haec scribit „Dyroff . . . findet es auffallend, daß Ps.-Plut. unter seinen historischen Beispielen mehrfach sonst Unbekanntes bringt. Das reiche Belegmaterial, das der Peripatos überall sammelte, wird ihm auch für die Erziehungslehre zu Gebot gestanden haben.“ Neque profecto quid obstet, intellego, quin illa exempla aut a Peripatetico quodam philosopho aut a Chrysippi sectatore memoriae tradi potuerint.

[2]) Cf. Schickium p. 41 adn. 75, qui hanc partem ut alias partes fusiores (2 D—3 B, 4 C—F, 12 D—F, 13 F) a Chrysippo removet.

quam rectius Platonis epitomen Galenus appellare mavult: *ὁ Ποσειδώνιος . . . μέμφεται (Χρυσίππου) μετὰ τοῦ θαυμάζειν, ὅσα Πλάτων εἶπεν ὑπὲρ τῆς τῶν παίδων ἔτι τε κυουμένων ἐν τῇ μήτρᾳ διαπλάσεως, ἀποκυηθέντων τε τροφῆς καὶ παιδείας καὶ γέγραφεν οἷον ἐπιτομήν τινα κατὰ τὸ πρῶτον αὑτοῦ περὶ παθῶν σύγγραμμα τῶν ὑπὸ Πλάτωνος εἰρημένων, ὡς χρὴ τρέφεσθαι καὶ παιδεύεσθαι τοὺς παῖδας ὑπὲρ τοῦ τὸ παθητικόν τε καὶ ἄλογον τῆς ψυχῆς σύμμετρον ἀποφαίνεσθαι ταῖς κινήσεσι καὶ τοῖς τοῦ λόγου προστάγμασιν εὐπειθές κ. τ. λ.* Quibus ex verbis facile est tractatus illius lineas fingere: parentum, corporum, generationis, feminarum praegnantium curam habuit, qui ex coporis elementis animum hominis affici censeret. Deinde corporis formationem, nutritionem, educationem primam tractavit. Maximum est, quod affectuum ac libidinum culturam instituit. Nam in libris *περὶ παθῶν* scriptis eas res ita nempe disseruit, ut omnem educationem tamquam sub illum conspectum poneret; quare eum institutionem mentis, eruditionem, litterarum ac scientiarum doctrinam hoc libro omisisse veisimile est, quod solis moribus rectoque animi statui operam dedit. Itaque quae apud Senecam De ira II 19—21 supra Pohlenzio praeeunte Posidonio dedimus, optime illi libro respondere perspicuum est: ubique affectus, ira = *θυμός*, cupiditates reguntur ac sanantur. Non satis praedicari potest, quantopere ea re totius edurationis notio mutata sit. Nobis quidem educationem psychologia et diligentissima animi observatione niti consentaneum videtur. Posidonium autem primum in Stoa, Platone et Peripato ducibus usum, ex eo conspectu educationem tractasse constat. Cui non solum opiniones de educandi ratione traditae atque in Stoa communes mutandae erant, sed multa ac nova addita sunt, quae antea neglegebantur, quod a Stoicorum animi humani notione aliena erant. Tunc demum educandi ars esse poterat, quae summam diligentiam atque experientiam desideraret. Ubi vera animi natura perspecta eiusque facultates notae sunt, consuetudinem, imitationem, exempla hominum, facilitatem puerorum formandorum, inclinationum natura insitarum curam multo pluris fieri intellegimus, quod irrationales animi facultates respiciunt. Nam interest inter animum et ingenium (*θυμός* et *νοῦς*): hoc ratione, docendo, discendo eruditur, ille totus consuetudine ac vivendi genere formatur. Atque animi conformatio maior vel certe prior educationis pars est, quia ingenium inde pendet. Quid eiusmodi in vetere Stoa? Nihil vel potius singula quaedam, quae non reliquae doctrinae, sed communibus hominum opinionibus responderent. Quare si posteris temporibus educationis speciem invenimus, quae psychologia ea nitatur, quam nos quoque fere habemus, dummodo cum arte instituta atque exculta sit, aut e Posidonii auctoritate aliquo

modo eam derivare non erit alienum, aut Pythagoreorum, Platonis, Peripateticorum ipsorum verisimilius imitationem agnoscemus, ipsorum, quoniam ille horum imitator erat. Ita unde repetenda sint multa in Senecae educandi opinionibus, quamquam nonnulla alia addita sunt, apparet. Maximum eius quaestionis subsidium comparatio cogitationum ac praeceptorum, quae De ira II 19—21 exhibentur, est. Posidonii vel mediae Stoae apud reliquos quoque philosophos posterae aetatis, praecipue eos, quos philosophiae populari attribuimus, aliqua ratio habebatur eiusque iudicia cum veteris Stoae doctrina varie miscebantur. Sed non praetermittendum est mediae Stoae ratione eclectica opiniones philosophorum doctrinae severitate omissa inter se similes factas varieque coniunctas esse. Quamobrem cogitationes, quales mediae Stoae philosophis attribuere possumus, magis tempori nonnumquam, quam auctoribus certis vindicare optimum videtur.

Sed ut ad Ps.-Plutarchum revertamur: neminem fugere potest eum nequaquam e Posidonii libro ipsum hausisse; non enim philosophi placita ac praecepta eleganter probata, luculente explanata, cum ratione continuata praebet. Quare ita potius censuerim: Ps.-Plutarchus Posidonio ipse nihil debet, sed ab ea philosophia stat, quae illo principe Stoica ac Peripatetica atque quaevis alia compilavit. Neque accuratius probandum esse puto scriptorem Posidonii librum de affectibus conscriptum fontem non adhibuisse. Nam, ut nonnulla proferam, Posidonius corporis in matris utero formationem tractavit et Platonis Pythagoreorumque rationem secutus in affectibus sanandis musicae vim exposuit (Galen. de H. et Pl. d. p. 472 K); imprimis autem omnia psychologiae argumenta, quae Galenus e Posidonii libro tam larga tradit, apud Ps.-Plutarchum desunt. Praeterea nonnulla, quae supra in Chrysippi coniectura refutanda nobis evenerunt, hic non minus valent. Ceterum quatenus Ps.-Plutarchus de Posidonii philosophia pendeat, quaerere vanum est in rebus tam dubiis; certe ex huius scriptoris libello de Posidonio quicquam concludere minime licet, ubi non aliorum consensus accedit.

Paulo ante philosophiae popularis mentionem fecimus. Neque ineptum videtur conicere Ps.-Plutarchum cum illo philosophiae genere artius cohaerere quam cum sectae doctrina genuina, quippe quod Stoicorum opiniones cum aliorum coniunctas popularibus notionibus et vitae necessitatibus accomodarit. Sed quamvis popularis Ps.-Plutarchi quoque philosophia sit, huic coniecturae gravia impedimenta obstant. Nam mea quidem sententia animi magis contrarii, quam huius scriptoris et cuiuslibet illorum philosophorum, non dico Epicteti vel Musoni,

inveniri non possunt, in quibus omnibus, ut apud viros doctos constat, Cynica philosophandi ratio plus minusve vigebat. Quam multum, ut id unum afferam, inter Ps.-Plutarchum, qui (8 E—F) pauperibus, quod cultioris eruditionis expertes sint, ut *τὴν τύχην αἰτιάσθωσαν* suadeat[1]), et Teletem interest, qui (Tel. rel. p. 34 Hense) paupertatem philosophiae studio non obstare, sed prodesse demonstret! Quae res non solum ad scriptoris animum pertinent, sed etiam de tota eius philosophia valent. Nusquam simplex ac tenue vivendi genus, austeram virtutem, rerum hominumque contemptricem laudat, nusquam divitias, luxuriam, avaritiam impugnat, nusquam de universa morum pravitate et hominum stultitia queritur. Nam quodsi adulescentium vitia ac libidines immoderatas reprehendit vel omnia bona eruditione praeposita contemnit, profecto opus non est Stoicam, nedum Cynicam virtutem suspicari; non solum philosophorum, sed etiam poetarum tales res communes sunt. Ut apud eum veram vitiorum castigationem deesse cognoscas, compares quaeso Senecae vel Iuvenalis orationes Philippicas, ut eo verbo utar. Praeterea animadvertendum est vocem „popularis", quam usurpamus, varia significare: Ps.-Plutarchi cogitationes ita appellari possunt, quod communibus ac vulgaribus notionibus similes sunt, illi autem, de quibus quaestio est, philosophi, ut multitudinis gustum duriorem delectarent, asperrima quaeque et paradoxa adamabant et mores omni doctrinae subtilitate neglecta eo magis curiosos et in plebe efficaces reddebant. Accedit denique argumentum grave, quod etiam in vetere Stoa valere videtur: Ps.-Plutarchus ne uno quidem verbo feminarum educationem commemorat. Nam omnes Stoici mulieres e philosophia non removerunt, immo feminarum et virorum virtutem[2]) ideoque etiam educationem eandem esse debere confirmabant[3]). Praecipue autem philosophia popularis hanc opinionem defendit: habemus testimonium Musonii tractatum *Εἰ παραπλησίως παιδευτέον τὰς θυγατέρας*

---

[1]) Quare, si Dyroffius (p. 293 adn. 3) scriptorem in Chrysippi libri titulo ante *παίδων* 1 A *ἐλευθέρων* inseruisse putat, et libelli et scriptoris naturam neglegit. Cuius opiniones semper sibi constant: ubique solos ingenuos, etiam divites homines respicit et ipse supra vulgus elatus est (cf. 6 B *τοῖς συρφετώδεσιν ὄχλοις*). Quatenus in ea superbitate aliorum philosophorum animum nobilem arduumque imitatus sit, difficile dictu est (cf. Pythag. Stob. Ecl. IV 209, 16 H; Plat. Pol. 431 C). Illud *ἐλευθέρων* igitur ad totius libelli naturam quadrat, quae verae Stoicorum rationi non convenit, nedum, quae Cynicis proxima sit.

[2]) Clemens Al. Paed. I 4 *τὴν αὐτὴν ἀρετὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς εἶναι.*

[3]) Cf. Wendland, Quaest. Muson. p. 23 adn. 1; Dyroffius, Eth. d. a. Stoa p. 311 qui laudat Cleanthis librum *Περὶ τοῦ ὅτι ἡ αὐτὴ ἀρετὴ καὶ ἀνδρὸς καὶ γυναικός*, quem contra Peripatum scriptum esse censet.

τοῖς υἱοῖς, cuius partes tradit Stobaeus Ecl. II p. 235 W. Ps.-Plutarchus eam rem plane neglegit: tamen uno loco Stoicorum opinionem significare videtur, nempe ipse nescius, quid sua verba sibi velint, Eurydices exemplum dico (14 B—C). Nam illam non magis quod, quamquam erat *τριβάρβαρος*, tamen litteris studuit, quam quod femina eruditionem appetivit, laudari perspicuum est. Quam rem Graßbergerum recte cognovisse puto, qui talia exempla „anerkennende Äußerungen über den Bildungstrieb einzelner Frauen“ (l. l. III p. 516) appellet et Stoicorum vel eorum, qui idem sentiebant, postulatis respondere censeat. Verisimillimum igitur est illud exemplum Stoicorum argumentis attribuendum esse; sed idem, quale a scriptore praebetur, tam vulgare atque inane esse videtur, ut certius quicquam concludi non possit. Ceterum scriptoris in ea re silentium sane non multum refert: tamen facile explicetur eum secundum Peripateticos eam educationis partem neglexisse. Qui nempe omnes ita fere iudicabant ut Aristoteles Pol. 1260 a 20 *ὥστε φανερόν, ὅτι ἐστὶν ἀρετὴ τῶν εἰρημένων ἁπάντων καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ σωφροσύνη γυναικὸς καὶ ἀνδρός* (cf. Dyroffium l. l.). Quoquo modo res se habet, Ps.-Plutarchus magnam verae Stoicorum educandi rationis partem praetermisit, quam neglegere Peripateticis respondet.

Quae cum ita sint, Ps.-Plutarchum, quamquam et ipse omnem philosophiae vim in moribus ac vivendo habet, ab illo philosophorum genere, quod populare vocare solemus, removendum esse censeo. Sed magis ex re esse videtur, rerum, quas profert scriptor, partes observare. Neminem enim fugit locos esse in eius libello, qui litterarum generi, quod „diatribes“ nomine appellari solet, optime respondeant. Ei praecipue loci sunt, quibus res per se a philosophia non alienae longis ambagibus teruntur, variis exemplis illustrantur, vulgaribus dictis ac flosculis exornantur. Quae huc pertinere censeo, haec fere sunt: 2 D—3 B exempla de consuetudinis, curae, laboris vi, praecipue canes Lycurgi, 4 A—5 A et A—C de bonis ac de malis paedagogis, adulescentium vitia, 5 D—6 A bonorum comparatio, eruditionis laus, 7 C—8 B liberalium artium iudicium, praecipue Bionis dictum, 9 E—F de memoria, 10 C—11 C exempla Sotadis et Theocriti, 13 A—C adulatorum vituperatio. Ita enim facillime explicari posse puto, Ps.-Plutarchum nonnumquam concinnitatis atque ordinis ratione neglecta res minores plus aequo tractare atque etiam res, quae ne minimum quidem ad educationem spectant (10 C—11 C), copiose explicare, si eum in partibus, quas enarravi, aliquatenus scripta illius generis vulgaria adhibuisse conicimus. Neque praetermittendum est ea, quae fortasse iure Cynicae rationi vindicari possunt (ex parte 2 A—3 B *πόνος*

et Bionis dictum 8 B) illis partibus contineri. Qui autem talium rerum fontes fuerint, inquirere vanum est, quae est nostra illius litterarum generis inscientia. Satis sit statuere illas partes aliquatenus populari philosophiae et vulgaribus notionibus maxime respondere. Totam Stoam perlustravimus: nusquam cui auctori Ps.-Plutarchus sua debeat, vidimus, sed cui tempori, quae exhibet Stoica, attribuenda sint, ut mihi quidem videtur, magna cum probabilitate apparuit.

Locus esse videtur, ut de iis rebus, quas passim vulgares esse contendimus, et de philosophia vere populari, eam dico, quae ante scholarum doctrinas et praeter eas semper florebat, breviter disseramus. Nam negari sane non potest inter Ps.-Plutarchum et Ps.-Isocratem *Πρὸς Δημόνικον,* quod illarum opinionum exemplum habere licet[1]), summam non raro similitudinem intercedere. Tamen illum librum vel alium eiusdem generis Ps.-Plutarchi fontem fuisse mihi quidem probabile non videtur, quamquam coniectura perfacilis est (cf. Emminger l. l. „schließlich ist sie vielfach durch Vermittlung der Stoiker, denen sie in ihrem Gedankeninhalt verwandt und deshalb sympathisch war, Vorbild zahlreicher Mahnschreiben an junge Leute und Hauptquelle für alle gnomologischen Sammlungen geworden“). Meo enim iudicio inter hos libros, quamvis multa communia habeant, multum interest. Ps.-Isocratis praecepta plane in pristinis Graecorum opinionibus et sophistarum aetatis cogitationibus versantur: hominis in societate status, vita activa, amicitia, usus cotidianus maxime respiciuntur, ubique *δοκεῖν* (*δόξα, εὐδοκιμῆσαι*), fama atque gloria, permagni aestimatur. Quocum Ps.-Plutarchum tam saepe congruere e Peripati ratione, quae vulgaribus opinionibus proxima nonnumquam fuisse videtur, et e scriptoris ipsius iudicio facilius explicari existimo. Tamen eum illius generis libellum quemlibet adhibuisse prorsus negari non potest.

Reliquum est, ut de altera rerum parte, quam in examinandis Ps.-Plutarchi praeceptis distinximus, eodem modo quaeramus, de iis rebus, quas Peripateticas agnovimus. Peripateticos inde ab Aristotele in educatione et doctrina et usu operam maximam navasse constat. Nam Aristoteles, cum omnes scientias tractaret philosophiaeque subiceret, adulescentium eruditionem universam scholae suae usurpavit et in Politicorum libris optimae educationis speciem omnibus hominibus multo aptiorem, quam fuit Platonis, exposuit. Eadem studia apud

---

[1]) v. K. Emminger (Jahrb. f. cl. Phil. Suppl. XXVII, 373). Cuius sententiam potius sequor, quam Dyroffium, qui (Archiv f. Gesch. d. Phil. XII, 1898, p. 55) Cynicorum doctrinae vestigia ibi quaerit. Nam periculum est, ne, quae sine dubio vulgaria ac tritissima erant, Cynicis demus.

sequentes eius sectae philosophos valebant: ita Theophrastus secundum Diogenem Laert. V 50 scripsit *περὶ παίδων ἀγωγῆς α', ἄλλο διάφορον α', περὶ παιδείας ἢ περί ἀρετῶν ἢ περὶ σωφροσύνης α'* (praeterea V 42 *περὶ παιδείας βασιλέως*). De ceteris Peripateticis v. Graßbergerum l. l. v. II. p. 8. Neque enim huius loci est ea opera enumerare atque describere, de quibus perpauca nobis tradita sint. Quare in illorum philosophorum numero Ps.-Plutarchi auctorem quaerere vanum ac supervacuum est. Nam quod iam supra apparuit, totum libellum uni auctori attribui non posse, hic quoque valet; num autem scriptor aliquo eorum philosophorum, de quorum scriptis ferme nihil scimus, auctore in singulis rebus usus sit, ut de quolibet facile conici, ita in nullo satis comprobari potest. Quae Schickius p. 26 exponit, ubi tractationem nutritionis et primae educationis Iamblichi, Ocelli, Stobaei sententiis collatis Aristoxeno attribuit, mihi quoque maxime probata sunt. Sed praeterquam quod de ceteris rebus concludere non possumus neque scimus, quatenus Aristoxenus in *Πυθαγορικαῖς ἀποφάσεσιν* educationem tractaverit, animadvertendum est simillimas res sine dubio ceterorum Peripateticorum communes fere fuisse, ut Hieronymi verbis illis illustratur; de Clearcho quidem non minus verisimile est (cf. Schick. p. 27 adn. 49). Quare inter Aristoxenum et Ps.-Plutarchum conexum artiorem suspicari vanum esse videtur, quod tales res, quibus fere consentiunt, reliquis quoque Peripateticis conveniunt. At id unum mihi quidem certum esse videtur: si Peripateticos adhibemus, facillime explicari potest id, quod alioquin magnam difficultatem habet, cur Ps.-Plutarchus non universam eruditionem et institutionem, sed paene solum morum cultum tractaverit. Non satis est confirmare scriptorem, quae erat eius philosophia, quam solis in moribus perfectis et recto vivendi genere sitam esse supra apparuit, in educando solam virtutem sibi proposuisse. Quae enim est eius virtus? Iam saepius eam descripsimus: bene ac moderate vivere, rectum modum ac decorum servare, erga homines comem, benevolum, amicum esse. An virtus universa his rebus continetur? Nonne virtutes mentis, sentiendi, cognoscendi sunt, nonne ab omnibus philosophis, quamvis diligenter actiones postularent, virtus activa e virtutis notione, e rerum scientia derivata est? Apud omnes virtutis doctores quamlibet populares ac vitae activae deditos virtus, antequam in agendo est, in cognoscendo esse debet, e naturae humanae rerumque scientia proficiscitur. Ps.-Plutarchus igitur virtutis tamquam fundamentum ac maiorem partem omisit: non quid sit virtus, qua ratione contineatur, cur hominis summum bonum ac studium sit, sed quomodo vivendum et erga alios agendum sit, exponit. Quare risum vix teneas, cum philosophiae studium ceteris scientiis praestare

debere magno ore declamat et quid sonet, valeat, contineat philosophia, omittit, cum virtutem semper iactat et virtutes multas ac magnas ipse nescit. Itaque, ut nunc apparet, mentis eruditionem, quae semper maior educationis pars erat, omisit, nequaquam quod eas res in virtute adipiscenda supervacuas aut nocentes esse censuit — nam si ita iudicavisset, omnem eruditionem ac doctrinam aspernatus esset et vituperasset — sed quia non totam educationem tractat, sed eam partem solam, quae morum conformationem et recte vivendi consuetudinem continet. Quare id unum verisimillimum mihi quidem videtur: libello Ps.-Plutarchi tractatus suberat, qui solam moralem educationem continebat idque ita, ut solae virtutes tractarentur, quae minus in hominis animo, quam in vivendo et in hominum usu apparent. Et ex iis rebus, quae insunt, et magis etiam ex iis, quae desunt, concludere licet scriptorem non temere praecepta locosque collegisse et forte vel sponte res maximas omisisse, sed eum tractatum aliquem, cuius naturam descripsi, aliis rebus aliunde petitis auxisse et varia praecepta vel additamenta exornandi causa adiecisse itaque librum *περὶ παίδων ἀγωγῆς* confecisse, qui antea de puerorum moribus ac vivendi genere fuerat. Hanc fere originem libelli conicere cogimur, quod aliter educationis notio tam angusta ac tenuis explicari vix potest. Si denique eiusmodi operis speciem in philosophorum scriptis quaerimus, nihil aliud, quod aliquantum respondeat, occurrit, quam Theophrasti liber, quem supra laudavi, *περὶ παιδείας ἢ περὶ ἀρετῶν ἢ περὶ σωφροσύνης*. Cuius ex indice si quid concludi potest, Theophrastus eam partem virtutum tractavisse videtur, quae in mediocritate vivendi et recto agendi genere sitae sunt, quippe qui eas virtutes uni *σωφροσύνῃ* subiciat; altera inscriptione *περὶ παιδείας* indicatur eum, quomodo illae virtutes educando effici possent, exposuisse easque verae eruditioni convenire demonstrasse. Non igitur de omnibus virtutibus agere instituerat neque de universa educatione quaestionem posuerat, sed de recto, moderato, decenti vivendi genere, cui pueros educando assuefieri oporteret. In eiusmodi opere instructionem mentis et discendi disciplinas defuisse consentaneum est. Neque denique talis virtutis notio cum Peripateticorum doctrina discrepat. Nam Aristotelis distinctione, quam fecit inter *ἀρεταὶ διανοητικαί* et *ἠθικαί*, virtus iam non una atque eadem est, qualis erat postea Stoicorum, sed in duas partes paene diversas dividitur: virtutes rationales ad rationem, mentem, cognitionem pertinent, morales, quoniam in recto animi statu sunt (*ἕξεις*), sola consuetudine et educatione efficiuntur. In harum virtutum numero, quas solas in Ethicis Nicomacheis tractavit, nonnullae sunt, quae ad hominum societatem et convictum pertinent: cf. IV, 11 *πρᾳό-*

της, 12 virtus media inter *κολακείαν* et *φιλονεικίαν* i. e. *ὁμιλεῖν ὡς δεῖ*, 13 media inter *ἀλαζονείαν* et *εἰρωνείαν*, 14 *εὐτραπελία, εὐδεξιότης*; IV, 12, 1126 b 11 *ἐν δὲ ταῖς ὁμιλίαις καὶ τῷ συζῆν καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν κ. τ. λ.* . . *Σωφροσύνης* naturam ita adumbrat: 1127 a 23 . . *περὶ σωφροσύνης λέγωμεν· δοκοῦσι γὰρ τῶν ἀλόγων μερῶν εἶναι αὗται αἱ ἀρεταί. ὅτι μὲν οὖν μεσότης ἐστὶ περὶ ἡδονὰς ἡ σωφροσύνη, εἴρηται ἡμῖν.* Facillimum est suspicari Theophrastum hac virtute non solam rectam in affectibus et libidinibus mediocritatem, sed omnes virtutes morales complexum esse, cum scripserit illo libro *περὶ ἀρετῶν ἢ περὶ σωφροσύνης*; quae huius vocis notio certo vulgaribus opinionibus similis erat. Peripateticorum igitur *σωφροσύνη* iam „virtus“ ipsa fit, quae mediocritate in affectibus cupiditatibus, agendo vivendo servanda continetur[1]). Eandem fere Ps.-Plutarchi virtutem esse iam saepius animadvertimus; repetamus nunc verba, quibus eam illustrat: 5 A *βίος τεταγμένος*, 8 C *εὐταξία, σωφροσύνη*, 11 D *εὐκοσμία καὶ σωφροσύνη*, 12 A *εὐταξία καὶ κοσμιότης*. Perspicuum est eum his verbis omnes virtutes, quas effici vult, amplecti; ipse igitur quamquam *περὶ παίδων ἀγωγῆς* agere sibi proposuit, revera *περὶ σωφροσύνης* scripsit. Locus non est, ut omnia iterum enarrem, quae supra (in altera parte) passim Peripateticorum opinionibus consimilia esse apparuit; satis sit commemorare eas res minus certis quibusdam locis contineri, quam modo hic modo illic proferri, Peripateticum colorem modo prae se ferre, modo obscure significare. Ne multa, idem fere in Peripateticis evenire videtur, quod in Stoicis: insunt, sentiuntur, nonnumquam deprehendas licet, sed ubicumque accuratius indagamus, in dubia aut vulgaria incidimus. Tamen, ut quae saepius dixi iterem, tota educationis notione, praeceptorum natura, libelli genere Peripateticum fontem ut coniciamus, adducimur. Quare alienum non erit, quae profert Ps.-Plutarchus, digerere et fontis illius fines, quod quidem fieri potest, circumscribere conari. Nunc enim id tandem inquirendum est, quae ratio inter rerum ordinem libellique dispositionem vitiosam, quam prima opusculi parte demonstrare conatus sum, et ea, quae in rebus comparandis examinandisque nobis evenerunt, intercedat. Nam si recte rerum

[1]) Conferatur similis notio apud Iamblichum, De v. Pyth. 41 *ἔλεγε περὶ σωφροσύνης . . . . ὅτι μόνης τῶν ἀρετῶν ταύτης καὶ παιδὶ καὶ παρθένῳ καὶ γυναικὶ καὶ τῇ τῶν πρεσβυτέρων τάξει ἀντιποιεῖσθαι προσήκει καὶ μάλιστα τοῖς νεωτέροις. ἔτι δὲ μόνην αὐτὴν ἀπέφαινε περιειληφέναι καὶ τὰ τοῦ σώματος ἀγαθὰ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς, διατηροῦσαν τὴν ὑγιείαν καὶ τὴν τῶν βελτίστων ἐπιτηδευμάτων ἐπιθυμίαν.* cf. ibid. 40 *εὐκοσμία, εὔνοια, φιλανθρωπία.* Hic quoque reliquas virtutes paene complectitur et imprimis in pueris virtus ipsa et rectus animi status et conveniens vivendi genus est.

partes divisimus, dispositionem ei distributioni aliquo modo respondere oportet. Quam rem non ita instituere velim, ut in singulis rebus, ex qua potissimum origine derivandae sint, declarem, quoniam multa ambigua ac dubia sunt, sed ut illius tractatus Peripatetici naturam breviter describam, quod quidem coniectando fieri potest, deinde quae aliunde addita esse putem, significem. Reliquum est, ut eas res minime pro certo separari posse iterum moneamus. Praeterea id, quod in rebus comparandis saepius apparuit, non est praetermittendum, inter Peripati et mediae Stoae opiniones plerumque haud ita multum interfuisse. Quare in dubio res manebit, quatenus, quae Peripato damus, per illam fluxerint. Tractatus igitur ille seu Peripateticus seu aliquantum praeterea philosophiae Peripati Stoaeque mixtae continens, ad cuius normam, ut ita dicam, Ps.-Plutarchi libelli maior pars conscripta est, hic fere erat:

Propositum est de puerorum *σωφροσύνη* agere, cf. Ps.-Plut. 11 D *ταῦτα* (i. e. omnia quae antecedunt), *περὶ τῆς τῶν παίδων εὐκοσμίας καὶ σωφροσύνης διείλεγμαι* et 12 A *ἐπειδὴ περὶ τῆς τῶν παίδων εὐταξίας εἴρηκα καὶ κοσμιότητος*. Tota igitur educatio ita tractatur, ut puerorum morum, modestiae, moderationis, humanitatis ratio habeatur. 1 B—D de mulieris condicione et nobilitate (*εὐγένεια*), quae in animo liberorum valeat, 1 D — 2 A praecepta de concubitu; 2 A — 3 B in virtutibus moralibus formandis consuetudo, exercitatio, cura, rectum vivendi genus maximi momenti sunt; 3 C — 3 F de nutritione et nutrice, ubi item ante omnia morum cura valet, 3 F — 4 A idem de aequalibus servulis et 4 A — 5 C de paedagogo atque magistro. Sed etiam in eruditione (*παιδεία*) sunt, quae morum curam ac moderationis rationem desiderent, praecipue in artis rhetoricae praeceptis de ea re videndum est, 6 A -- 7 C (*συμμετρία* servanda est, *μέση λέξις* commendatur, quae *ψυχῆς διαθέσει* respondeat); 8 A — B de vivendi generibus et necessitate philosophandi agitur; 8 C corporum cultus non est neglegendus, quod corporis atque animi status idem optimus est (*εὐεξία, εὐταξία, σωφροσύνη*); 8 F — 9 A *λόγοι* et *παραινέσεις*, quibus iuventus tractanda est, 9 B — D de remissione laborum, 10 A de virtutibus, quae *σωφροσύνης* notioni maxime respondent et imprimis erga alios homines praestandae sunt, etiam 11 C *ἀλήθεια*; 11 D — E (?) de puerorum amore; 12 A — D quomodo adulescentes regendi eorumque vitia supprimenda sint; huc pertinent praecepta brevia et efficacia ut Pythagoreorum aenigmata, quorum exempla afferuntur 12 D — F (?); 13 A — C malorum hominum, praecipue adulatorum usus vitetur; 13 D — F quamvis vitiis dediti sint filii, patres ne umquam amorem, clementiam, humanitatem amittant; 13 F (?) *γάμῳ καταζεῦξαι* de iuvenibus immoderatis.

Accedunt additamenta vel Stoica vel vulgaria: 1 C—D(?) exempla, 2 A—C et 2 D—3 B *πόνος, ἐπιμέλεια*, varia exempla, praecipue canes Lycurgi (cf. quibus verbis inducantur: *ἑνὶ δὲ περὶ τούτων ἔτι παραδείγματι χρησάμενος ἀπαλλάξομαι τοῦ ἔτι περὶ αὐτῶν μηκύνειν*), 3 C—F nonnulla fortasse in nutritione (*φύσις*-argumentum) et de nutricibus, 4 A—5 C de paedagogis atque magistris, praecique 5 A—C iuventutis vitia, 5 D—6 A bonorum comparatio et *παιδείας* laus, quae inserta sunt 5 D, ubi in illo tractatu ad eruditionem i. e. exercitationes oratorias transitur, 7 C—8 B artes liberales (quoniam *παιδείας* mentio facta est) et philosophiae, morum cultus ac studii laus, 8 C—D(?) de corporibus exercendis, 9 E—F *μνήμη*, 10 C—11 C exempla, 13 A—C *κόλακες*, 13 F (? v. s.), 14 A—C de patrum moribus, Eurydices exemplum (quod inducitur 14 A *βραχέα δὲ προσθεὶς ἔτι περιγράψω τὰς ὑποθήκας*).

Si in rebus ita discribendis dispositionis libelli rationem habemus, nonnulla ordinis vitia — quamquam non omnia — facile explicari perspicuum est. Sed de ea re prima opusculi parte iam satis mihi dictum est; hic quae ibi exposita sunt, comparentur. Ceterum ea, quae exposui, satis ambigua esse concedo. Sed licet singula quaedam aliter se habeant, de totius libelli natura atque compositione res mihi quidem perspicua esse videtur. Quamobrem, priusquam huius partis finem facio, breviter rerum summam composuerim. De Ps.-Plutarchi fontibus ita fere iudicandum esse censeo: Scriptor de puerorum educatione agere instituit, quippe qui eius rei ipse ignarus non esset. Quae erat aetatis eius philosophia vulgata, qua Stoicorum doctrina reliquarum sectarum, imprimis Peripati opinionibus miscebatur, et ipse tale philosophandi genus professus est. Philosophorum scripta de educatione composita perlustranti libellus Peripateticus, qui *περὶ παίδων ἀγωγῆς* vel *περὶ παιδείας* vel *περὶ σωφροσύνης* inscribebatur, sive erat ille Theophrasti sive alterius philosophi Peripatetici, aptissimus ei visus est, secundum quem praecepta sua conscriberet, quoniam Peripateticorum opiniones communibus hominum notionibus proximae saepe erant. Reliquorum librorum — si ita licet mente nobis fingere — natura aut nimis sublimis atque singularis aut nimis rigorosa severaeque doctrinae plena tam ingenio et proposito scriptoris, quam aetatis animo non satis convenit. Illum igitur tractatum, cum de tota educatione agere vellet, variis rebus aliunde petitis auxit; praecipue ubique Stoica inserere conatus est vel potius doctrina Peripatetica praetermissa philosophiam Peripatetico-Stoicam explicavit, quam sine dubio non ipse totam composuit atque finxit. Quos libros praeterea adhibuerit, si adhibuit, pro certo diiudicare nemo potest. Itaque quod supra saepius contendi, eum

philosophorum libris, quos novimus, ipsis usum non esse, ita sane intellegendum est: non oportet scriptorem aliqua ex illis libris ipsis transtulisse conicere, cum aliter quoque res explicari possint; sed utrum eos adhibuerit necne, in dubio semper erit. Praeterea nonnullas res vulgares addidit — neque enim satis praedicari potest, quantopere illis temporibus philosophiae de educatione locus divulgatus fuerit — sua denique fortasse compluribus locis inseruit. In rebus autem componendis librorum de educatione scriptorum ordinem — quem prima opusculi parte describere conatus sum — servare studuit, quamquam, ut ibidem apparuit, incompositae compilationis vitia evitare non potuit.

Pars IV.

De scriptore eiusque aetate.

In altera huius opusculi parte Ps.-Plutarchi libellum e philosopiae genere, quod dicunt eclecticum, quo Peripatetica et Stoica commiscentur, ortum esse apparuit. Accedit, quod in Stoicis nonnumquam mediae Stoae vestigia apparebant, cuius eadem ratio eclectica fuit, quae praecipue Peripateticis se accommodavit. Quare si recte concludimus, philosophiae genus, cui libellus respondet, post mediam Stoam ponendum eique aetati attribuendum est, qua eclectica philosophandi ratio valebat. Cuius si spatium definimus, ut latissime circumscribam, tria fere saecula patent, primum ante Chr. n. saeculum et primum alterumque post Chr. n.[1]) In certius quoddam tempus illud philosophiae genus vix revocari posse videtur. At Ps.-Plutarchi philosophia, quae opiniones iam plane confusas praebeat, fortasse in posterius ponenda est. Nam cum eorum philosophorum ratione minus conferri potest, qui aut de industria rebus e variis doctrinis congestis novam quandam philosophiam formant aut diversarum sectarum placita eadem esse comprobare student, sed in illud tempus descendendum est, quo placita iam non eclegenda, sed sine ulla distinctione coniuncta et mixta erant. Ita facillime explicatur Ps.-Plutarchum non se scholae ulli dedicare, ut plerique eius aetatis philosophi, quamvis eclectici essent, facere solebant, sed philosophiae ipsi studere et simili modo iudicandum esse atque Lucianum vel Dionem Chrysostomum vel Galenum, cuius philosophiae[2]) propior est quam ceteris. In eandem fere aetatem, in quam nunc, iam supra alio argumento deducti sumus: scriptoris philosophia solis in moribus est, cf. partis II c. 8. Adiciamus ea quoque, quae in capite oratorio (ibid. c. 7) posteriora tempora indicare videntur.

Aliam indagandi ansam praebent loci, quibus scriptor quid de reliquis philosophis sentiat, exprimit et alios laudat vel imitatur. Atque

---

[1]) Cf. Zeller, Phil. d. Gr. III 1 ², p. 482 sq.

[2]) v. Zeller, l. l. p. 735 „Eklektizismus auf peripatetischer Grundlage.“

tales res ad scriptorem ipsum plerumque pertinere facile intellegitur, quoniam illis locis nonnumquam ipse loquitur et nonnulla cum libelli ratione eclectica cohaerent. Neminem fugit scriptorem e tanta philosophorum multitudine unam solam fere familiam novisse videri, Socraticos dico. Quorum principem Platonem valde admiratur et tamquam deum veneratur. Quanta cum admiratione illos veteres philosophos colat, compluribus locis apparet: 2 C ... τῶν παρ' ἅπασιν ᾀδομένων ... Πυθαγόρου καὶ Σωκράτους καὶ Πλάτωνος καὶ τῶν, ὅσοι δόξης ἀειμνήστου τετυχήκασιν, 3 F Πλάτων ὁ δαιμόνιος, 10 E de Archyta, Socrate, Platone: πειρατέον οὖν εἰς ὅσον οἷόν τ' ἐστί, τούτοις παραδείγμασι χρωμένους ... οὐδὲ γὰρ εἰς τἄλλα ἐνάμιλλοι ταῖς ἐκείνων ἐσμὲν οὔτ' ἐμπειρίαις οὔτε καλοκαγαθίαις. ἀλλ' οὐδὲν ἧττον ἐκείνων ὥσπερ θεῶν ἱεροφάνται καὶ δᾳδοῦχοι τῆς σοφίας ὄντες, ὅσαπέρ ἐστιν ἐν δυνατῷ, ταῦτα μιμεῖσθαι καὶ περικνίζειν ἐπιχειροῦμεν, 11 E de Socraticis. Neque deest Platonis imitatio. Non multum refert, quatenus apud illos quoque auctores, e quibus Ps.-Plutarchus praecepta congessit, singula quaeque in hunc artis educandi principem nomine dicto revocata sint; meo enim iudicio Platonis imitatio in ea re semper vigebat. Tamen Platonem hic tanti aestimari animadvertendum est, ut scriptor eius auctoritate malit praecepta confirmare, quam ratione atque argumentatione. Dubium non est, quin ei Socratici et imprimis Plato summam philosophiam ac sapientiam ipsam significent, cui ipse quoque studet, etiamsi se ceterosque homines illas praestantiae imagines sanctissimas numquam omnibus modis imitari posse persuasum habet. Pro certo contendi potest, tale iudicium talemque pristinorum hominum sapientium venerationem suae infirmitatis consciam Graecorum philosophiae, quae erat post Aristotelem usque ad eclecticorum aetatem, minime convenire, praeter omnes non Stoicis. Stoici, qui ne suae quidem scholae principes summam sapientiam adeptos esse censerent, Socratem vel Platonem, quamquam plurimi faciebant totamque philosophiam ab eis derivabant, numquam adeo venerari potuerunt, ut eos summa consecutos putarent, quibus ceteri numquam pares fierent. Stoicae rationi contrarium est inter homines distinguere eorumque, qui perfectioni destinati sunt, animos divina quadam natura praeditos habere, ut Ps.-Plutarchus 2 C εὐδαίμων οὖν καὶ θεοφιλής, εἴ τῳ ταῦτα πάντα θεῶν τις ἀπέδωκεν. Virtutis igitur perfectio non penes nos (παρ' ἡμῖν) est, sed naturae nostrae condicione destinatur, quae de deorum benevolentia vel de fortuna pendet. Qui bene praeditus est, deorum gratia fruitur, θεοφιλής est; ceteri inferiores ac debiles minoribus contenti esse debent. Ita quoque intellegendum puto scriptorem τύχην permagni facere, qua hominum res gubernentur: 8 F τὴν τύχην αἰτιάσθωσαν, οὐ τὸν ταῦτα συμβουλεύοντα, 14 C τὸ μὲν οὖν πάσας τὰς προειρημένας συμπεριλαβεῖν παραι-

νέσεις τύχης[1]) *ἴσως ἔργον ἐστίν, τὸ δὲ τὰς πλείους ζηλῶσαι καὶ αὐτὸ μὲν εὐμοιρίας δεόμενόν ἐστιν.* Eiusmodi opiniones Stoicae non sunt: Stoicorum sententia is solus, qui virtute absolutus ac perfectus est, *θεοφιλής* est, a deo diligitur eiusque benevolentia dignus est[2]), non, ut apud Ps.-Plutarchum, quia *θεοφιλής* est, ideo perfectionem adipiscitur. Eodem modo *Τύχη* quoque Stoica diversam notionem habet: virtuti numquam obstat neque in sapientis animo quicquam valet. Illa autem naturae praestantis notio vel fortuna praeditae vel a deis dilectae Peripateticorum posteriorum opinionibus consimilis est. Quam rem iam supra tractavimus; nunc *τύχης* momentum illustretur: Eth. Eudem. I 1214 b 6 *ἅπαντα τὸν δυνάμενον ζῆν κατὰ τὴν αὑτοῦ προαίρεσιν θέσθαι τινὰ σκοπὸν τοῦ καλῶς ζῆν* et Theophrasti verba apud Stob. Ecl. II p. 240, 6 W. *ὅσοι δὲ τραφέντες ἐλευθερίως καὶ χορηγίαν ἔχοντες ἱκανήν, ὥστ' εἰς ὁποιονοῦν βίον ἐλθεῖν κ. τ. λ.* conferantur cum Ps.-Plutarcho, qui iis, qui paupertate vita cultiore prohibentur, suadet: *πειραστέον μὲν οὖν εἰς δύναμιν τὴν κρατίστην ἀγωγὴν ποιεῖσθαι τῶν παίδων καὶ τοῖς πένησι· εἰ δὲ μή, τῇ γε δυνατῇ χρηστέον.* Verisimile igitur est scriptoris opinionem in ea re valde de Peripateticis pendere; eiusdem est ad virtutem perfectam deorum benevolentiam et ad optimam vitam fortunae dona necessaria ducere[3]). Quamobrem et naturae praestantis notio Peripateticum colorem habet. Temporis igitur indagatio in hac re non multum proficere videtur. Alia exempla illi veterum philosophorum admirationi requirenda sunt. Non est, quod accuratius demonstretur, eclecticorum rationis esse pristinos philosophos venerari atque verae sapientiae duces habere. Ita, ut exemplum afferam, a Posidonio Pythagoram et Platonem tanti aestimatos esse constat, ut magis Platonicus quam Stoicus esset. Atque inde ab illo tempore[4]) veterum studium et admirationem viguisse, etiam auctam esse consentaneum est; ita circa initium fere saeculorum Christianorum duae scholae novae, veterum cultrices, oriuntur, Neoplatonici et Neopythagorei qui vocantur. Non igitur alienum videtur Ps.-Plutarchi quoque Platonis et Pythagorae admirationem eidem fere aetati attribuere. Nec desunt alia, quae inter eum et philosophiam, quam Neopythagoricam

---

[1]) Hercheri emendationem (*τύχης* pro *εὐχῆς*) necessariam esse puto propter sequens *εὐμοιρίας*.

[2]) Cf. Dion. Chrys. Or. 69, 4 *ἀγαθοί* sunt *θεοφιλεῖς, φίλοι τοῖς θεοῖς, εὐδαίμονες,* quia sunt *τῶν θεῶν ἐπιστήμονες, ὅσιοι, φρόνιμοι,* contra *ἄφρονες: οὐ φίλοι τοῖς θεοῖς, δυστυχεῖς.*

[3]) Ceterum talis *τύχης* aestimatio Graecorum opinionibus communibus plane respondet, praecipue priorum temporum, cf. Ps.-Isocr. *Πρὸς Δημ.* 34 *ἡγοῦ κράτιστον εἶναι παρὰ . . . τῶν θεῶν εὐτυχία . . .,* 49 *ἡ τύχη . . . αὐτοῖς χρήματα καὶ δόξαν καὶ φίλους ἐνεχείρισεν.*

[4]) De Posidoni apud posteros auctoritate v. Schmekel, Ph. d. m. St. III B.

vocamus, similitudines intercedere demonstrent, quippe quae magna ex parte Peripati placitis nitatur; ut exemplum afferam, felicitatis condiciones, *ἀρετή* et *τύχη*, vel praecepta politica vitaeque publicae aestimatio (cf. Zeller. Phil. d. Griech. III 2 p. 123). Neque denique a Plutarchi philosophia, quae fundamentum Platonicum et additamenta Peripatetica, Stoica, Pythagorica contineat, Ps.-Plutarchus nimis alienus est. Sed iam supra apparuit veterum imitatione atque admiratione minus philosophos quosdam vel scholas, quam tempora indicari[1]).

In Socraticorum numero praeter Platonem Xenophontem Ps.-Plutarchus permagni facere videtur. Nam 3 D, 8 D, 9 D locos eius e Cyrupaedia et Oeconomico affert et 11 E in Socraticorum laudatione post Platonem eum ponit; repetamus nunc id, quod passim supra apparuit, scriptorem cum Xenophontis opinionibus nonnumquam plane consentire. De Xenophontis studio paulo latius liceat evagari, ut num ex ea re tempus indicetur, videamus. Xenophontem omnibus temporibus praecipue propter stilum et scribendi genus permagni factum esse constat; tamen eum magnae admirationi et imitationi fuisse ante imperii Romani tempora comprobari non potest[2]). Perfectionis autem species praestantissima apud Dionem Chrysostomum est; cf. Or. 18, 14 sq. *ἡγοῦμαι . . ἀνδρὶ πολιτικῷ καὶ μόνον τῶν παλαιῶν ἐξαρκεῖν δύνασθαι.* Quamquam haec Xenophontis admiratio et imitatio, quae genus dicendi praecipue sectatur, apud Ps.-Plutarchum deest, tamen eodem tempore, quo ille philosophus a rhetoribus tam diligenter tractabatur, ceteroquin eum studio fuisse auctoritatemquo eius multum apud scriptores valuisse concludi potest. Ita eundem Dionem Xenophontis scripta philosophiae causa lectitasse atque eis opiniones suas accommodavisse constat[3]) neque negari potest philosophiam eius nonnumquam, ante omnia Socratis imaginem Xenophonteam esse. Perspicuum est Ps.-Plutarchi Socratem eodem fere modo cogitari; neque profecto admirandum esset illa aetate Socratem, cui ut veteris philosophiae principi omnes studebant, nonnumquam magis Xenophontis quam Platonis

---

[1]) Cf. Senec. Ep. 64, 7 *veneror inventa sapientiae inventoresque* . . . (9) *suscipiendi sunt et ritu deorum colendi.* Luciani Somn. 12 *ὁ δὲ Σωκράτης . . . ἀκούεις ὡς παρὰ πάντων ᾄδεται* (cf. Ps.-Plut. 2 C *τῶν παρ' ἅπασιν ᾀδομένων . . . Σωκράτους* . . .)

[2]) Iucunditas et gratia eius (*γλυκύτης, χάρις*) semper laudantur. Sed plus valet illa aetate: cf. Radermacher. Mus. Rhen. LII 597 adn. 1 „Xenophonschwärmer gab es schon zur Zeit Ciceros (or. 32); sein Einfluß auf die Literatur macht sich erst seit Dio Chrysostomus bemerkbar"; idem apud Pauly-Wissowa Encycl. r. VII 2, 2411, 35 s. v. Harpocration, Arrianum affert „einen echten Vertreter der Xenophonromantik."

[3]) Cf. Joh. Wegehaupt, De Dione Chrys. Xenophontis sectatore (1896).

coloribus depictum esse. Sed de reliqua Xenophontis imitatione nihil certi contendi potest, quia in rebus tritis ac vulgaribus versatur, id unum certum est, Xenophontis auctoritatem apud Ps.-Plutarchum multum valuisse, quippe qui Socraticorum opiniones tantopere admiretur, quarum fontes haud minimi Xenophontis scripta erant [1]). Quae si complectimur, omnes res, quae adhibitae sunt, eandem fere aetatem indicare videntur, i. e. Dionis ferme tempora: quare Ps.-Plutarchi libellum circa limen alterius post Christum natum saeculi conscriptum esse censeo [2]).

Reliquum est, ut de paucis quibusdam rebus disseram, e quibus de scriptore ipso eiusque ingenio concludi possit. De qua re iam Wyttenbachius luculente egit: scriptorem hominem paene rudem atque indoctum esse ex dispositione locorum, e manca et obscura rerum explicatione, ex nonnullis verbis laevis apparet. Atque explicandi dicendique genus nonnumquam tam inelegans et ineptum est, ut ille vir doctus libellum a discipulo quodam conscriptum esse putarit. Et apparet ex nonnullis locis scriptorem non tam ornatus cultusque neglegentem, quam scribendi plane imperitum fuisse. Ita aliorum, imprimis poetarum dicta pueriliter inducuntur: 1 B *καὶ σοφὸς ἄρα ἦν ὁ ποιητής, ὅς φησι,* 1 C, 1 D, 4 F *οὐκ ἀκόμψως, ἀλλὰ καὶ πάνυ ἀστείως,* 3 F, 4 A, 9 D, 10 A alia; vel ut quae profert, confirmet, interrogat rhetorice: 1 D *τὸ ποῖον;* 2 D *μόνα ἄρα ταῦτα διαδείκνυσιν; οὐκ, ἀλλὰ μυρία ἐπὶ μυρίοις,* 9 B; vel se maximum dicturum esse condendit 4 B *τὸ δὲ πάντων μέγιστον καὶ κυριώτατον τῶν εἰρημένων ἔρχομαι φράσων,* 8 D, 10 B, 11 C *παρὰ δὲ ταῦτα, ὅπερ ἐστὶν ἱεροπρεπέστατον . .,* alia similia; 4 D *Ζεῦ καὶ θεοὶ πάντες,* 5 C *συνελὼν τοίνυν ἐγώ φημι (καὶ χρησμολογεῖν μᾶλλον ἢ παραινεῖν δόξαιμ' ἂν εἰκότως),* 8 E—F *τί οὖν ἄν τις εἴποι κ. τ. λ.,* F *καὶ ταῦτα μὲν δὴ τῷ λόγῳ παρεφορτισάμην, ἵνα ἐφεξῆς καὶ τἄλλα συνάψω,* alia. De dispositionis ordine perturbato et inconcinno iam prima opusculi parte satis actum est. Quibus rebus et ineptiarum multitudine, quam praeterea indagavit, commotus Wyttenbachius ita de scriptore coniecit: Plutarchi discipulus quidam erat, qui antea artis rhetoricae sectator, deinde philosophiae

---

[1]) Quae Dyroffius l. l. p. 345 „Xenophon in der Stoa" exponit, huc non pertinent, quod Xenophontis imitatio demonstrari non potest nisi in Persaei et Sphaeri libris de Lacedaemoniorum re publica conscriptis, ubi non de philosophia res est. Qua re denique Wendlandi verba *Quaest. Muson.* p. 11 . . . *Xenophontis commentariis, quos antiquitus praecipuo studio Stoici amplectebantur,* nitantur, nescio.

[2]) Graßbergeri sententiam probo, qui v. II p. 10 ita censet: „Er (scriptor) ist Synkretist und wahrscheinlich Zeitgenosse Hadrians." Quamquam eundem multo plus suspicatum esse, quam inest libro, puto, cum dicit: „Der Verfasser empfiehlt ohne eigentliche geistige Schärfe eine religiös-sittliche Erziehung, mit neuplatonischer Anschauung von der Sündhaftigkeit des Menschen."

deditus, quaestione a magistro proposita *Τί τις ἂν ἔχοι εἰπεῖν περὶ τῆς τῶν ἐλευθέρων παίδων ἀγωγῆς* hoc opusculum conscripsit. Incipit magistri quaestione iterata, quaecumque in mentem ei veniunt, componit, locos rhetoricos decantat. Plutarchus denique de opere iudicans addidit verba *τὸ μὲν οὖν κ. τ. λ.* Quae coniectura sane facilis atque acuta, tamen inanis nimisque ficta mihi quidem esse videtur. Atque duo maxime argumenta contraria ei sunt: scriptorem neque discipulum vel adulescentem neque e Plutarchi schola[1]) fuisse credi potest. Nam ante omnia loci examinandi sunt, quibus scriptor vel de se ipso vel de aetate sua aliquid indicat: 9 B *ἤδη δέ τινας ἐγὼ εἶδον πατέρας κ. τ. λ.*, 12 A *πολλάκις γὰρ κατεμεμψάμην τοὺς μοχθηρῶν ἐθῶν γεγονότας εἰσηγητάς*, 13 A *ὅπερ ἐγὼ πολλάκις καὶ πρὸς πολλοὺς τῶν πατέρων διατελῶ λέγων*, 4 A *ἐπεὶ νῦν γε τὸ γιγνόμενον πολλοῖς ὑπερκαταγέλαστόν ἐστιν*, 4 C *νῦν δέ τις κἂν καταπτύσειε τῶν πατέρων ἐνίων*, 9 D. Quibus verbis si credimus, scriptor educandi peritus est: paedagogum aetate provectum, qui iam diu in erudiendo versatus est, audire nobis videmur. Cur autem illis verbis fidem negemus, non est; nam licet scriptor aliorum exempla imitatus in patres ob educandi neglegentiam invehatur, tamen eum tales locos totos non mutatos e fontibus transtulisse credi non potest, discipulo vero ea verba, nisi forte mente captus est, non conveniunt. Fieri non potest, quin illa verba scriptori ipsi attribuamus atque veras eius opiniones exprimi putemus. Praeterea si Plutarchi sectatorem, qualem Wyttenbachius finxit, vel omnino discipulum quendam philosophiae rudem conicimus, summae difficultates occurrunt: scriptorem locos communes rhetorice decantare aut de suo res proponere, nunc, quoniam libellum excussimus, iure improbare possumus. Omnia illa praecepta, quae ad unum tendunt, quae philosophiam valde interdum sapiunt, quae diligentem curam optimamque educandi experientiam demonstrant, ab homine eius rei plane imperito inventa aut collecta esse quis crediderit? Scribendi deinde inscitia non aetatem, sed ingenium scriptoris indicari censeo et dicendi genus interdum rhetorico colore infectum non ex artis rhetoricae studio — nam si ita esset, genus rhetoricum magis elucere exspectandum esse quam paucis flosculis iam initio expositum est — sed e stilo difficili atque imitationis pleno eius, qui scribendi minus peritus est, explicaverim. At quam denique rationem inter Plutarchum et Ps.-Plutarchum intercedere putemus? Plutarchum libelli scriptorem non esse in libello excutiendo saepius comprobatum esse existimo. Sed ne ea quidem coniectura comprobari potest, qua scriptor

---

[1]) Ita Hartmannus quoque censet, l. l. p. 238. Eiusdem iudicio asperrimo, ibid. p. 239 *rhetorica sunt omnia, vana et inania* et p. 241 *pueruli miselli est meditatio* non adsentior.

Plutarchi discipulus habetur. Quaenam alia causa est, cur ita censeamus nisi quod libellus Plutarchi nomine traditus est? Contra explicari non possit discipulum vel sectatorem adeo nihil commune habere cum eo, a quo philosophia instituitur. Quamquam negari non potest nonnullas scriptoris opiniones non minus Plutarcho aptas esse et philosophiae genus eclecticum a Plutarcheo haud ita multum differre, tamen talis philosophandi ratio non illius, sed temporis est atque ea ipsa, quae Plutarchi maxime propria sunt, ut religionis notio ac vis eximia[1]) apud Ps.-Plutarchum desunt. Accedit, quod scriptorem paedagogum educandi peritum, sed verae philosophiae rudem esse supra probabile visum est: tali homini in Plutarchi schola locus non est. Sane si eam coniecturam aspernamur, restat, ut quomodo libellus in Plutarchi scriptorum corpus irrepserit, explicetur. Sed nulla re nisum aliquid coniectare inane mihi quidem videtur. Quare satis sit iterum commemorare, id quod e libello ipso nobis evenit, scriptorem Plutarchi aequalem fere fuisse; fortasse etiam artiore quam temporis ratione cum eo coniunctus erat, sed quomodo, fingere non audeo. Ceterum non ita difficile esse videtur explicatu, quomodo scriptoris cuiusdam ignoti libellus, cum eadem aetate, qua Plutarchus viguit, conscriptus esset eiusque philosophiae nonnumquam similia praeberet, postea in huius philosophi operum corpus venerit.

Reliquum est, ut moneamus — id quod per se intellegitur — nonnulla, quae supra passim ex aliorum imitatione derivata sunt, fortasse etiam scriptoris ipsius ingenio attribuenda esse; certo non tanta ac tam multa sunt, ut iudicium de eo mutetur. Quae si complectimur, de scriptore ipso nihil certius contenderim: sed tempus, aetas, animus, ingenium eius aliqua cum probabilitate describi posse videntur. Ut tandem huius tractationis argumenta in unum conferam: Ps.-Plutarchi libellus *περὶ παίδων ἀγωγῆς* philosophiae, non philosopho scriptori attribuendus est.

---

[1]) Quae res de tota illa aetate valere videtur; quare Ps.-Plutarchi neglegentia — nam praeter duo verba 7 E nihil deorum cultum curat — fortasse e Peripateticorum ratione derivanda est, apud quos deorum veneratio in virtutibus moralibus non erat, cf. Aristotelem, Eth. N. 1137 a 26; Wundt, Gesch. d. griech. Ethik II p. 122.

Conspectus.

Index nominum et rerum memorabilium.

Glaeser, Fridericus
De pseudo-Plutarchi libro